AMICUM FOEDUS
RATIONIS CUM EXPERIENTIA.

1

SEU

PHILOSOPHIA

NOVIS CURIS

EDITA

AUCTORE

JOANNE IMRE.

Addict. Cubicul. professo Log. et Metaph.

PARS PRIMA

COMPLECTENS

PRAELIMINARIA, ET LOGICAM.

Sum ex iis, qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio.

Plinius.

PESTINI,

TYPIS NOBILIS J. M. TRATTNER-KÁROLYIANIS.

M. D. CCC. XXXIV.

QUAM

PRO

SOLENNITATE SEMI-SECULARI

INSTAURATAE

REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS

HUNGARICAE

EJUSDEM

DIGNISSIMO PRAESIDI

EXCELLENTISSIMO DOMINO

COMITI

ANTONIO CZIRAKY

DE EADEM ET DIENESFALVA,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI COMMENDATORI, EQUITI AURATO, SACRAE CAES. ET REG. APOST. MAJESTATIS CAMERARIO, ACT. INTIMO STATUS ET EXC. CONSILII REGII LOCUMTENENTIALIS HUNGARICI CONSILIARIO, EXC. TAB. SEPTEMVIRALIS COJUDICI, JUDICI CURIAE REGIAE ET INCLYTI COMITATUS ALBENSIS SUPREMO COMITI,

VIRO

NON TANTUM

NATALIUM SPLENDORE

SED ET

MERITIS DE PATRIA,

REPUBLICA LITERARIA,

ATQUE

ERUDITORUM AMORE

AC

PROTECTIONE

ILLUSTRISSIMO

PROFUNDA CUM VENERATIONE

OFFERT.

Pestini 25. Juni 1830.

AUCTOR,
in Reg. Scient. Universitate
Philosophiae Professor p. o.

Praefatio.

Quod magnus ille Scientiarum per Europam Restaurator Baco Verulamius sapienter desideravit „dandum esse Rationi, quod Rationis est, et Experientiae, quod Experientiae est“ praesentis quoque, sicut illius, quod anno millesimo octingentesimo decimo octavo lucem primo vidit, Tentaminis philosophici Symbolum constituit, et Metam.

Antiqui et recentiores fuere Philosophi haud pauci, qui jam Rationi, jam Experientiae plus justo tribuendo, et inter germanas has sorores, beneficasque secus Generis humani magistras discordiarum semina jaciendo, moroso earum et inauspicato divortio ac repudio omnia in Familia humana turbavere, sicque et Sapientiae felicibus progressibus gravissimos obices posuere.

Optatam pacem revehere, Rationem cum Experientia amico Foedere nectere, utriusque non solum limites indagare, sed et jura, reciprocaque obsequia definire, venerari, et alios edocere, adeoque non formicas, quae usibus suis omnia ab exteris congerunt, nec araneos, qui telas suas e sinu texunt, sed sedulas imitari apes, quae collectam e floribus materiam propriis viribus elaborant, et nova forma induunt, culmen illud est, quo Philosophum indefessa opera, assidua meditatione, spiritu libero, sed modesto, crisi severa, sed aequa, ferreaque patientia eniti decet, et oportet; quo etiam hi qualescunque conatus mei tendunt.

Hanc ob rem nec nova captare, quia sunt recentia, nec antiqua spernere quia videntur obsoleta, nec meis inhaerere, quia propria sunt inventa: verum quaecunque ab aliis recte tradita, acute animadversa, meis clarius solidiusque dicta, principiis rationis conformia, et scopo praefixo, qui praeprimis juvenes instituendos respicit, accomoda reperi, in rem meam convertere, et systematice denuo reddere, adlaboravi; originarii namque In-

genii, et Inventionis aut Infallibilitatis gloriam non quaesivi, nec ea quorumdam ambitione laboravi, qua nihil iisdem dicere amant vocibus, quas jam prior aliquis adhibuit. „Hujusmodi voces, non est, quod hujus, vel illius esse judices: publicae sunt. Quod fieri in Senatu solet, faciendum ego in Philosophia quoque existimo, quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere sententiam, et sequor“ cum Seneca Epistola XXI.

Si non eundo, qua itur, sed qua eundum est, aliorum, et si magnorum, Errores non reticeam, verum libera, non inhumana, censura perstringam, Veritati et Characteri philosophico haud derogo; Crisis enim, non Personae, sed Rei solida nunquam, quaesita e contra Reticentia, et polemica Personarum Censura uti quibusvis aliis Scientiis, sic et matri harum Philosophiae plerumque obfuere; Philosophus autem Veritatis professione non, sed Erroris Conniventia laeditur, ac Patrocinio.

Quia vero Philosophiam non Deus Diis, sed Homo Hominibus propono; missis sublimibus et Humanitati nihil conducentibus, Veritatis, Virtutis, et Beatitatis negotium

complector solum, idque tam plane, ut non modo a doctis, sed et tironibus Philosophiae facile intelligar; sunt enim ista,, quasi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, nec equidem eam cogito consectari. Quod enim de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur; istiusmodi autem res dicere ornate velle, puerile est, plane autem et perspicue expedire posse, docti, et intelligentis viri." *Cicero L. III. de Finibus. C. V.*

Conamine hoc meo novo si Sapientiae callem aliquatenus expeditiorem reddidi, quod desiderabam, obtinui: sin minus, forsan attamen nodos explicandi, obscura declarandi, dubia enucleandi aliis doctioribus ansam praebui, calcar addidi; quod si consequar, et sic satis praemii tuli.

INTRODUCTIO
IN
UNIVERSAM PHILOSOPHIAM.

Hoc est coelo in terris frui, quando mens humana in charitate movetur, in Providentia quiescit, et supra polos veritatis circumfertur.

Baco Ver.

§. 1.

Praeliminaria.

Homo *Corpore* constat, et *Anima*.

Corpus hominis, sicut quodvis aliud, *Partes* diversas arctissime connexas et ad certos fines rite dispositas habet: quarum aliae sunt *solidae*, aliae *fluidae*, et solidae vel *durae*, vel *molles*.

a) Durae partes sunt: *Ossa*, *Cartilagines*, *Ungves*, et *Pili*.

Ossa simul sumta *Sceleton* constituunt, quod *Capite*, *Trunco*, et *Extremitatibus* absolvitur.

Caput *Cranio* seu *Calvaria* constat et *Maxillis superiori*, et *inferiori*, quibus *Dentes* inhaerent, in radicibus *Gingivis* tecti.

Truncus *Spinam dorsi* continet et *Pectus*; ad illam pertinent *Collum*, *Dorsum*, et *Lumbi*, ad hanc *Vertebrae*, *Costae*, *Os pectorale*, et *Pelvis*.

Extremitates s. *Artus* sunt *Scapulae*, *Brachia*, *Femora*, *Genua*, *Crura*, nec non *Manus* et *Pedes* cum *Digitis*.

b) Ut admirabilis Partium durarum compages ad motum apta sit, *Partibus mollibus* est provisa; uti *Musculis*, *Nervis*, quorum communis radix *Cerebrum* est, *Arteriis*, *Venis*, *Membranis*, *Vasis diversis*, *Ductibus excretoriis*, *Glandulis*, etc. Denique

c) Partes *fluidae* sunt diversi humores in corpore nostro contenti, uti sunt: *Sangvis, Sero* et *Lympha* constans, *Lachrymae*, *Saliva*, *Mucus*, *Bilis* etc.

Ope harum partium duplicis generis mutationes contingunt in Corpore, aliae, quae ad vitam, aliae, quae ad sanitatem illius sunt necessariae, illae ideo *vitales*, hae *naturales Functiones* corporis appellantur.

Ad vitales pertinent: *Circulatio Sangvinis* e *Corde* usque ad Extremitates per *Arterias* abducti ac per *Venas* in idem reducti, et *Respiratio*, aërem inspirando et exspirando per *Tracheam*, *Pulmones*, et *Diaphragma*, absolvi solita.

Naturales vero Functiones sunt: *Digestio* ciborum et potuum per *Fauces* in *Abdomen* ingestorum, et in hujus *Stomacho* ac *Intestinis* ope *Hepatis* et *Renium* in pultaceam quamdam massam *Chymum* dictam transformatorum, et praeprimis per *Succum* gastricum resolutorum: deinde *Secretio* ope *Bilis* ex Hepate in Intestina transfusi; tum *Nutritio* per *Chylum* rite paratum; ac tandem *Excretio* superfluorum praeprimis *Motu peristaltico*, seu alterna diductione et contractione *Viscerum*, per *Intestinum rectum* fieri solita.

Partium diversarum Corporis humani Functiones mox dictas peragentium determinata in quovis homine constitutio et proportio *Temperamentum* appellatur; quod communiter in *cholericnm*, *sanguineum*, *melancholicum*, *hypocondriacum*, *phlegmaticum*, et *boeoticum* seu *rusticum* dividitur; quorum tamen nullum est *purum* in ullo homine, sed *mixtum* et denominatum a praedominante, atque pro diversitate *Aetatum*, *infantilis*, *puerilis*, *juvenilis*, *virilis*, et *senilis*, varium.

Varie-

Varietatis hujus, in diversis hominibus adhuc majoris, causae praecipuae sunt: *Generatio*, *Sexus* masculinus et faemineus, *Clima s.* diversae temperaturae atmosphaerae, *modus vivendi*, *Consvetudo*, et *Educatio*. Unde.

Corpus humanum non tantum *Naturam mechanicam* habet, vi cujus, ut machina quaevis, ex partibus certis inter se rite connexis constat, sed et *organicam*, vi cujus, ut vegetabile, crescit, roboratur, se ipsum format, conservat, partes diversas secernit, utiles in substantiam suam convertit, inutiles et superfluas ejicit, imo etiam *animalem*, per quam ex se mobile et sensibile comparet, Animaeque ad functiones altiores *organon s.* instrumentum idoneum redditur. Scilicet

Si Homo seipsum consideret, deprehendit, quod praeter Corpus aliquid etiam ab hoc diversum possideat; praeter mutationes enim illas, quae e triplici natura corporis explicari possunt, observamus et tales contingere in nobís, quae e natura Corporis explicari non tantum nequeunt, imo cum hac manifeste collidunt, scilicet non solum Corpus nostrum sed et res alias extra nos positas a nobis et ab invicem discernere solemus, dumque nos per *Ego*, illa a nobis diversa appellamus *Non ego ;* igitur praeter Corpus aliud etiam aliquid debet latere in Homine, quod Corpore ipso ceu suo domicilio et instrumento utatur: istud aliquid *Anima* est.

Anima dum se non tantum a Corpore, quod inhabitat, sed etiam et se et Corpus suum a rebus ceteris extra se positis hasque ab invicem discernit, *Conscientiam habet sui* et *rerum extra se positarum ;* ita dicimus vel vulgari sermone „*conscius sum mihi*", vel *conscius sum eorum, quae extra me sunt, vel fiunt*" i. e. agnosco me, discerno has vel alias meas operationes, scio et alia

extra me existere, et sic vel aliter mutari. Ut adeo Anima id sit in nobis, *quod sui et rerum aliarum est conscium*, et Conscientia pro *fundamento* omnium operationum Animae debeat haberi, et pro irrefragabili immediato *indicio* ejus existentiae.

Anima quatenus alicujus sibi conscia est, *Subjectum*, cujus conscia est, quodque ipsi quasi objicitur, *Objectum*, ipsa vero operatio, qua conscia fit Anima alicujus, idque Conscientiae suae praesentat, *Repraesentatio* audit. — Hinc

Illud, cujus nullam Repraesentationem adeoque nec Conscientiam habemus, pro nobis nihil est; et Repraesentatio in Conscientia est radix quarumvis aliarum functionum et operationum Animae: cum vero indubium sit, nos et posse et reipsa etiam repraesentare innumera objecta, indubium quoque est, competere Animae nostrae *Facultatem repraesentandi*, qua possit, et *Vim repraesentandi*, qua revera repraesentet aliquid. Vis haec radicalis Animae multa deinde (ut mox videbimus) nomina alia sortitur pro diversitate operationum, et si in se ita una, indivisibilisque sit, sicut ipsa Anima, cui inhaeret.

Objecta, quae nobis repraesentamus, *Materiam*, modus, quo repraesentamus, *Formam* Repraesentationum constituunt: varia autem illa, quibus objecta repraesentata ab invicem discernimus, *Notae* appellantur; *e. g. repraesento mihi rosam, ipsa est Materia meae Repraesentationis, modus, quo clare vel minus clare rosam repraesento, est Forma, color vero, odor, folia* etc. *sunt Notae ejusdem.*

Notae multiplices sunt: scilicet 1) vel sunt *internae* alias *absolutae*, quae objecto etiam in se spectato et cum aliis non comparato conveniunt, vel *externae* alias *relativae* vel *Relatio-*

nes, quae objecto tantum cum aliis comparato competunt.

2.) Internae Notae vel sunt *necessariae*, quae ab objecto abesse nunquam possunt, adeoque ejus *Essentiam*, seu ut id sit, quod est, efficiunt, ideo et *essentiales* dicuntur, vel *contingentes*, quae ab objecto etiam abesse possunt, quin illius Essentia mutetur, hinc *extraessentiales* quoque, audiunt.

3.) Ex essentialibus illae, quae in objecto primo occurrunt, et quae simul Essentiam eius constituunt, ex aliisque derivari nequeunt, *Notae originariae*, v. *Essentialia constitutiva*, quae vero ex his necessario derivantur, *Notae derivativae*, *Essentialia consecutiva*, vel *Attributa* dicuntur.

4.) Illa Nota, quae huic tantum objecto, de quo agitur, convenit, *propria* v. *Proprietas*, illa vero, quae pluribus etiam objectis inest, *communis nota* appellatur.

E. g. hominis Notae internae essentiales constitutivae sunt animalitas et rationalitas, et quidem animalitas communis cum bruto, rationalitas propria inter objecta terrena, facultas ratiocinandi Attributum, eruditio Nota interna contingens, magnitudo Relatio est.

Pro diversitate hac notarum etiam objecta diversa esse possunt; nempe

1.) Tale objectum, quod habet notas proprias, est *omnimode-determinatum singulare vel Individuum*, e. g. *Plato*; quod vero notis etiam aliis communibus gaudet, e. g. *Homo*, est *nonomnimode-determinatum* s. *universale*.

2.) Objectum universale, quod habet notas pluribus universalibus communes, *Genus*, contenta vero sub Genere minus universalia objecta *Species* vocantur; e. g. *respectu hominis et bruti*

Genus est animal, respectu vero animalis homo et brutum species sunt.

3). Objecta cum suis notis simul repraesentata *concreta*, notae vero ab objectis sejunctae *abstracta* dicuntur; *e. g. homo eruditus est objectum concretum, eruditio abstractum.*

Objecta haec dum Anima sibi repraesentat, et, repraesentationes suas ad ipsa referendo, *cognoscit*, *immanenter* dicitur *agere*, et *Activitatem* suam *theoreticam* exserere: quod quia vario modo facit, vis ipsius unica originaria varia sortitnr nomina. Nempe

1.)Dum objecta praesentia et immediate in nos agentia repraesentamus, *sentimus, percipimus, intuemur*, *Sensus*, *Vis sentiendi percipiendi* v. *intuendi* agit in nobis, operatio haec ejus est *Sensatio* et hujus *Perceptio*, productum vero *Intuitus*.

Sensus si ea nobis sistat, quae intra nos sunt aut fiunt, e. g. gaudium, tristitiam etc. *internus*, si extra nos posita, *externus* audit.

Sensus externus, quia praeprimis per quinque partes Corporis solet activitatem suam exserere, uti per *oculos*, *aures*, *lingvam*, *nares*, et *fibras nerveas* per totum Corpus diffusas, quae ideo *Organa sensoria* vocantur, quinque habet nomina, scilicet: quatenus radiis lucis in oculos incidentibus *Colores* rerum percipit, *Visus*, quatenus äere tremulo aures penetrante *Sonum*, *Auditus*, quatenus effluviis corporis odoriferi nares vellicantibus, *Odores*, *Odoratus* v. *Olfactus*, quatenus per lingvam et palatum *Sapores*, *Gustus*, denique quatenus ope nervorum, praeprimis in manibus, *diversam cohaesionem* partium Corporis alicujus sentit, e. g. *duritiem*, *mollitiem*, *frigus*, *calorem*, etc. *Tactus* appellatur.

Quod vero Sensum *internum* attinet, hujus a tivitatem ab organisatione Sensuum externorum

multum pendere, inde patet; quod si nervi vitientur, aut destruantur, sensus quoque interni functiones cessent, aut saltem impediantur, e. g. *in deliquio*, aut *somno gravi:* non tamen pari modo hebescit Sensus internus cum externis; saepe enim fit, ut quo minor est sensuum externorum vigor, eo major sit interni activitas.

Summa Perceptionum aliquarum ejusdem generis Sensu interno vel externis adquisitarum *Experientiam* parit; quae proinde, sicut sensus, *interna*, vel *externa* potest esse: e. g. *interne experior me gaudere, externe vero solem lucere.*

2) Dum objecta absentia, olim tamen saltem aliquatenus percepta, Anima nostra sibi repraesentat, *imaginatur*, vis, qua hoc agit, *Vis imaginandi*, quod agit, *Imaginatio* dicitur.

Vis imaginandi, si objecta ita sincere repraesentet, et quasi restauret in conscientia, sicut antea erant percepta, *Vis reproductiva* v. *Memoria sensualis* (*mechanica* v. *physica*) dicitur, ut distinguatur a *Memoria spiritnali* s. *Reminiscentia* et *Recordatione*, quae, quia non tantum reproducit perceptiones, olim habitas, sed harum etiam identitatem agnoscit cum reproductis, non huc, sed ad deinceps enumerandas altiores Vires animae pertinet: quod si vero e perceptionibus antea habitis diversimode separatis, aut conjunctis, novas repraesentationes sibi effingat, Vis imaginandi *Vis fingendi* v. *Phantasia*, producta autem ipsius *Figmenta* aut *Phantasmata* appellantur.

Vis imaginandi activitas quoque multum pendet ab organisatione corporis, ab impressis in cerebro rerum vestigiis, a temperamentisque diversis; ideo aliter solet se exserere in puero, aliter in sene, aliter in viro, aliter in faemina; hinc

etiam fit, quod alii plus, alii minus valeant Memoria; alii in poësi, alii in pictura excellant; temperamenti sangvinei e. g. vividas rerum imagines, melancholicus tristes sibi effingat, aliter imaginetur sanus, aliter morbidus, aliter esur, aliter satur etc.

Quantumvis autem differant in suis productis et operationibus hucusque recensitae Facultates et Vires Animae, in eo tamen omnes conveniunt, quod juxta easdem leges *associent* repraesentationes diversas.

Est nempe *Associatio repraesentationum* ille nexus, vi cujus repraesentationes nostrae ita se mutuo excitant in Conscientia, ut redeunte una, redeat et altera, et quidem.

a) Per *legem Analogiae* s. *Similitudinis* repraesentatio similis excitat similem; e. g. *si videam hominem patri meo similem, et patrem meum mox repraesento.*

b) Per *legem Oppositionis* oppositae repraesentationes se mutuo excitant; e. g. *repraesentatio morbi excitat illam sanitatis.*

c) Per *legem Simultaneitatis* repraesentationes olim simul efformatae simul redeunt; e. g. *nodus in strophio factus, praesentem mox sistit repraesentationem negotii, quod peragendum proposui.*

d) Per *legem Successionis* repraesentationes se se excipientes etiam mutuo excitantur, e. g. *repraesentatio patris excitat repraesentationem prolis.*

3) Dum Anima repraesentationes suas multiplices per Vim sentiendi aut imaginandi adquisitas inter se comparat, deprehensaque inter has aliqua similitudine seu notis communibus, has a propriis sejungit, seu *abstrahit*, et in unam repraesentationem conjungit, *concipere* dicitur, et

Vis haec ejus *Vis concipiendi* est, producta vero hujus vis *Conceptus* et *Notiones* appellantur.

4.) Quando repraesentationes plures seu Vi sentiendi seu Vi concipiendi adquisitas inter se conferimus, et an inter se conveniant, nec ne, determinamus, *judicamus*, *Judicium* formamus, et haec Vis Animae nostrae *Vis judicandi* audit. Denique

5.) Dum ex judiciis notis inter se comparatis ignota eruimus, *ratiocinamur*, *Vis ratiocinandi* vel *Ratio* agit in nobis, et *Ratiocinia* producit.

Sensus itaque *externi* et *internus*, *Vis imaginandi reproductiva* et *productiva*, necnon *Vis concipiendi*, *judicandi* et *ratiocinandi* sunt universim *Facultates* illae, quibus Anima nostra objecta quaecunque Conscientiae suae praesentare, et repraesentationes suas ad ipsa referendo cognoscere potest; *Sensus* et *Vis imaginandi*, quia ad naturam Hominis inferiorem, quae *sensualis* est. pertinent, et brutis quoque competunt, *inferiores Facultates* Animae vocantur: *Vis* vero *concipiendi*, *judicandi*, et *ratiocinandi* ad naturam Hominis superiorem, quae *intellectualis* est, spectantes, *superiores* dicuntur, et simul sub nomine *Vis cogitandi*, *intellectus*, vel *Mentis* veniunt, atque cum prioribus pro diversa sui in diversis Hominibus mixtura proportione gradu et efficientia diversum *Ingenium* pariunt. Hoc sensu dicimus hunc *debilis*, alterum *mediocris*, tertium *boni* vel *excellentis* esse *Ingenii*, istum *originarii* s. *inventiosi*, alium solum *derivativi* s. *imitatorii*, etc.

Ad *bonum* Ingenium, propter arctissimum nexum Animae cum Corpore, quod *Commercium* vocatur, et ex parte Corporis et ex parte Animae plura requiruntur; *ex parte* nempe *Corporis* or-

ganismus nervorum omnium, praeprimis cerebri, perfectus, organa sensoria sana et subtilia, corpus agile, et temperamentum excitatum ac vividum, quale praeferenter est sangvineo-cholericum: *ex parte* vero *Animae* sensus acuti, memoria fida, facilis et bene ordinata, phanthasia vivida, judicium acre et penetrans, amor solitudinis, et animi constantia.

Diversitatem vero Ingeniorum, praeter *temperamenta* diversa, *Aetatis*, *Climatis*, *Educationis*, *Nationis*, *Religionis*, *Casus*, et *Conversationis* diversitas producere solet.

Interim penes omnem hanc diversitatem Cognitiones, ad quas Ingenia nostra applicare possumus, et solemus, istae sunt praecipuae: —

1.) *Empiricae*, vel *rationales*; *empirica* s. *a posteriori* cognitio est, cujus materiam experientia suppeditat, e. g. *corpus levius aquae supernatat:* illa vero cognitio, cui ratio dat materiam, e. g. *existit Deus*, est *rationalis* s. *a priori.*

2.) Si hoc cognoscamus, quid sit, vel fiat, e. g. *virtus est honesta*, *theoreticam*, si vero et hoc nobis notum sit, quid fieri possit, et debeat, e. g. *virtus est colenda*, *practicam* habemus cognitionem. Utraque haec cognitio

3.) Vel est *vulgaris*, vel *erudita* s. *solida*; illa hoc tantum cognoscimus, quod aliquid sit, aut fiat, fieri possit, vel debeat, quin perspiciamus, quare, ita e. g *cognoscit pleraque puer, vel homo de plebe:* hac vero et hoc perspicimus, cur aliquid sit, vel fiat, et quare fieri possit aut debeat e. g. *si cognoscam, cur Deus existat, et quare coli debeat.*

4.) Cognitio, quae nec sibi, nec suo objecto repugnat, est *vera*, e. g. *circulus est rotundus*, v. *corpus est compositum:* illa vero, quae vel

sibi, vel suo objecto non consentit e. g. *circulus est quadratus*, vel *corpus non est compositum*, est *falsa;* et si quis seu istam pro vera, seu illam pro falsa habeat, *errare* dicitur.

Est proinde *Veritas* consensus cognitionis secum ipsa, et cum suo objecto, et illa prior *formalis*, haec *materialis:* pugna vero cognitionis secumipsa aut cum suo objecto est *Falsitas;* cognitio denique vera, quam quis pro falsa, aut falsa, quam quis pro vera habet, *Error* nuncupatur, et aeque, sicut Veritas *formalis* vel *materialis* potest esse.

Plures certi generis cognitiones, si tali nexu junctae sint, ut altera ex altera fluat, et simul unum totum efficiant, vocantur *systematicae*, et totum, quod constituunt, *systema:* cognitiones e contra tales, inter quas nullus nexus intercedit, *rhapsodicae* audiunt, et aggregatum ipsarum *Rhapsodia* est.

Cognitiones tales, quibus aliae ceu fundamentis innituntur, et ex quibus ceu e fontibus derivantur, *Principia* appellantur, et quidem si amplius nulli altiori subordinentur, sed per se vera esse intelligantur, e. g. *impossibile est idem simul esse et non esse*, *ultima*, *suprema*, v. *prima* Principia.

Principiis suis innixum Systema Cognitionum, *Scientia* est, et *scire* tantum significat, ac ex Principiis certis quidpiam cognoscere.

Unde, sicut Cognitiones, ita etiam Scientiae vel sunt *empiricae*, vel *rationales;* Scientia *empirica* ex experientia, *rationalis* e ratione desumit suas cognitiones; hae sunt duae, *Philosophia*, ad quam tendimus, et *Mathesis*; ad illam *Physica* pertinet cum *cognatis Scientiis;* illae vero Scientiae, quae aliorum testimonio et auctoritati

innituntur, e. g. *Historia*, *Theologia* et *Jurisprudentia*, peculiari nomine *positivae* appellantur.

Cum Anima in repraesentationibus et cognitionibus, suis multiplicibus haud subsistat, sed ex his ultro ad *Actiones proprie dictas* amet se determinare, et *Activitas* haec ejus appelletur *practica*, Vis vero, qua ipsam exserit, *Voluntas*, atque hujus perfectio, ut mox videbimus, praecipuus sit *Scopus* Philosophiae; hinc antequam Scientia haec nobilissima vel a limine salutetur, e re erit, ea quoque hic breviter attingere, quae *Voluntatem*, ceu alterum principalem ramum Vis Animae originariae, propius concernunt.

Objecta nempe illa, quae Anima sibi repraesentat, et cognoscit, vel talia sunt, quae naturam nostram perficiunt, et interne, vel externe meliorem reddunt, e. g. *sanitas*, *virtus*, aut vero talia, quibus imperfecti, deterioresque reddimur, e. g. *morbus*, *vitium*; illa *Bona*, haec *Mala* dicimus. Quia vero

Natura nostra alia est sensualis, alia rationalis; id quod naturam sensualem perficit, e. g. *sanitas*, est Bonum *sensuale* s. *physicum*, quod deteriorat, e. g. *paupertas*, est Malum *sensuale*; illud e contra Bonum, quod naturae rationali prodest, e. g. *scientia*, *virtus*, *rationale*, et Malum, quod eidem obest, etiam *rationale* vocatur, e. g. ignorantia, vitium.

Bonum aut Malum, quod sub omni respectu est bonum, e. g. *virtus*, aut malum, e. g. *vitium*, vocatur *absolutum*: illud vero Bonum, quod tunc tantum perficit naturam nostram rationalem, si ipso

utamur moderante ratione, e. g. *divitiae*, *honores*, est tantum *relativum*, tale est etiam huic oppositum Malum.

Jam si Bonum quodcunque Conscientiae suae praesentet Anima, oritur in ipsa grata aliqua repraesentatio, qua activitas illius excitata ad tale Bonum fertur, illudqne possidere nititur; nisum hunc dum exserit, dicitur generatim *appetere*, v. *velle*, et operatio haec ipsius *Appetitia*; vel *Volitio* audit: repraesentato vero aliquo Malo excitatur in Anima sensatio aliqua ingrata, qua activitas ejus a tali malo retrahitur, illudque amoliri a se conatur, quando conatum hunc exserit, dicitur *aversari*, vel *nolle*, et operatio haecejus *Aversatio* v. *Nolitio* appellatur.

Est itaque *Voluntas* illa vis Animae, qua haec se e repraesentationibus suis gratis vel ingratis ad appetendum, vel aversandum determinat; unde etiam *Facultas*, vel *Vis appetendi* aut *aversandi*, vel *Animus* vocatur: et quatenus e repraesentatione Boni vel Mali sensualis ad agendum semet determinat, est *Voluntas Vis* et *Facultas appetendi* et *aversandi sensualis*, *inferior*, *Sensualitas practica*, vel *Arbitrium brutum*, quatenus per repraesentationem Boni vel Mali rationalis excitatur, est *Voluntas rationalis*, *Vis* aut *Facultas appetendi et aversandi superior*, *Rationalitas practica*, vel *Arbitrium humanum*; quod proinde nihil appetit, nisi ceu bonum, et nihil aversatur, nisi ceu malum, etsi reipsa utrumque saepe opposite se habeat.

Sensio illa grata, quam repraesentatio Boni excitat in Animo, *Voluptas*, ingrata vero, quam repraesentatio Mali pro comite habet, *Molestia* v. *Taedium* audit; adeoque sicut Bonum et Malum, ita et Voluptatem ac Molestiam *rationalem* vel *sensualem* esse posse, per se intelligitur; e. g.

Voluptatem sensualem experitur, satur rationalem virtuosus: e contra rationalem Molestiam (vulgo remorsus conscientiae) patitur sceleratus, sensualem esuriens aut sitiens: interim humanae sicut Voluptates ita et Molestiae ob arctissimum nexum Animae cum Corpore majori ex parte ex rationali et sensuali *mixtae*, *purae* autem rarissime sunt.

Repraesentationes Voluptatis et Molestiae, quibus Voluntas nostra ad agendum excitatur, *Incitamenta* vel *Elateres Animae* vocantur, et in specie Incitamenta Voluntatis sensualis *Stimuli* v. *Instinctus*, rationalis vero *Motiva* audiunt; quae cum Voluntatem, teste Conscientia, qualia et quantavis sint, nunquam necessitent, sed tantum excitent, intuitu ipsorum *libera* appellatur.

Ex Incitamentis proveniunt diversae *Propensiones* et *Inclinationes* Animi, seu perdurantes illae dispositiones, quibus Homo partim a natura partim proprio marte ad certi generis objecta facilius et promptius fertur, quam ad alia, ideo vel *naturales* sunt, vel *adventitiae*, et si admodum habituales evadant, in *Consvetudinem* abeunt, et multiplices *Affectus*, et *Passiones* progignunt.

Est nempe *Affectus* commotio quaedam Animi vehementior in voluntate per repraesentationem Boni aut Mali excitata ad aliquid prosequendum, vel amoliendum; quae si pendurans sit, et ita habitualis, ut dominium rationis aut impediat, aut plane excludat, *Passio* v. *Perturbatio Animi* appellatur.

Incitamentorum, Propensionum, Affectuum et Passionum in diversis Hominibus tam nativa, quam adventitia vis, proportio, et qualitas diversa, universim *Character Animi* appellatur, et in *physicum* et *moralem* dividitur; illum a na-

tura habet Homo, ideo etiam *Indoles nativa* audit, hunc proprio studio sibi comparat, ideo aliter *Indoles adventitia* quoque appellatur, quae etsi a priori multum pendeat, cum tamen Voluntatis liberae productum sit, praeclaram, aut vitiosam illius qualitatem non semper nec necessario sequitur.

Quare vero tot fere Characterum sint Homines, quot sunt Individua, praecipue sequentia efficiunt: Corporis diversa *Temperamenta*, *Ingenium*, *Alimenta*, *Aetas*, *Sexus*, *Clima*, *Educatio*, *Societas*, *Religio;* proinde, qui harum causarum in Characterem alicujus influxum rite novit calculare, et dicta et facta imprimis in familiari conversatione et repentinis casibus, nec non fines praefixos sedulo observare; advocata in subsidium etiam *Physionomia*, quam lineamenta permanentia Corporis humani, praeprimis faciei, constituunt, Characterem quoque ejusdem satis secure poterit detegere, id quod in vita humana gravissimi et uberrimi usus est.

Universa autem Activitas Hominis, quam per Facultates et Vires hucdum enumeratas seu *theoretice seu practice* exserit, ultimo eo tandem tendit, tendereque debet, ut veritatem cognoscat, virtutem colat, et per hoc beatus evadat, ut adeo *Veritas*, *Virtus* et *Beatitas* in *absoluta* ad invicem *Harmonia* seu in perfecta consensione constituant *Finem Hominis ultimum;* atque ad hunc nos manuducit e principiis rationis ultimis *Philosophia.*

Nota a) Etsi perbene sciam, quod nec *Anthropologia* nec *Somatologia* et *Psychologia empirica* (scientiae de Homine, ejus Corpore, et Anima experientiae innixae) referri possint ceu *Partes* ad Philosophiam, imo cum Sci-

entiae hae, qua Scientiae notionem principiorum philosophicorum, adminus logicorum, praerequirant; nec eidem praemitti possint, ut multi faciunt, in forma systematica: cum tamen Philosophia tota quanta praeferenter circa Hominem versetur, eidem notiones has fundamentales, in gratiam incipientium, de universa Natura Hominis (non tam e praedictis Scientiis mutuatas, quam vulgari experientia et observatione collectas sub titulo *Praeliminarium* eidem praemittendas judicavi.

b). Nec hoc me latet, quod per plerosque Nominibus per *Praeliminaria* haec occurrentibus aliae Notiones subjiciantur, et praeter *Facultates cognoscendi* et *appetendi* Animae etiam tertia sub nomine *Facultatis Sensionum (Gefühlvermögen)* attribuatur: ast priorum multas aequivocationes et logomachias (pugnae de verbis) nauseavi, cum posterioribus vero superflue dividere nolui; siquidem, ut *Cl. Krug* rite observavit, *Sensio* quaevis, seu antecedat, seu subsequatur, vel ad Activitatem Animae theoreticam adeoque ad Facultatem repraesentandi et cognoscendi, vel ad practicam, proinde ad Facultatem appetendi aut aversandi pertineat, omnis enim Sensio est vel talis affectio Animae, ex qua quaepiam repraesentatio aut actio oritur, vel talis, quae ex repraesentatione aut actione aliqua exoritur; adeoque *Sensiones habere* nunquam est aliqua distincta functio Animae ab ipsius theoretica vel practica activitate; hinc est, quod vocabulum Sensionis tam lato sensu soleat sumi, ut per ipsum *Sensationes*, *Perceptiones*, *Cogitationes*, *Propensiones*, *Stimuli*, *Principia*, et *Veritates* quaevis denotentur, quarum nobis distincte conscii non sumus; sic nominamus *sensiones Veritatis* (communis naturae sensus) *Pulchritudinis*, *Honesti*, *Justi*, *Boni*, *Inhonesti*, *Injusti*, *Mali*, *Moralitatis*, *Honoris* etc.

§. 2.

Origo Philosophiae.

Cupiditate naturali sciendi excitus Homo, vix aliquot vitae suae annos peragit, et jam incipit de iis cogitare, quorum primam notitiam per sensus obtinuit, eaque meditationi suae subjicere; praeprimis vero amat cognoscere res eas, quae circa se sunt, et fiunt, harumque vires, et agendi leges, tum salutaria in suis morbis, et infirmitatibus remedia, cursum Siderum, Originem Mundi, hujus Auctoris, seu Dei existentiam, servitium, ac cultum, Animam item suam, et hujus diversas facultates, agendique regulas etc.

Jam ab antiquo viri illi, qui in cognitionibus his prae ceteris eminebant, graece appellati sunt σοφοι, idest *Sapientes*, primus fuit *Pythagoras*, cui teste Cicerone *lib. V. Quaest. Tusc. c.* 3. superbum hoc *Sapientis* nomen displicuit, et *se artem scire nullam*, sed esse φιλοσοφον, id est *amatorem*, vel *studiosum Sapientiae*, modeste confessus est, cujus exemplum alii etiam deinceps secuti, non jam σοφȣς, seu *Sapientes*, sed φιλοσοφος, idest *amatores et studiosos sapientiae* se nuncuparunt; unde scientia quoque illa, quam tractabant, *Philosophia* dicta est.

§. 3.

Notio Philosophiae Etymologica.

Proinde *Philosophia*, spectata *Etymologia*, seu vocis hujus significatione, est *amor*, vel *studium Sapientiae;* φιλος enim *amorem*, vel *studium*, σοφια vero *Sapientiam* Graecis significat:

ast quia vocabulum *Sapientiae* nimis late patet, omnesque cognitiones praeattactas in se continet (quae tamen lapsu temporis excultae, et separatae, distinctas a Philosophia proprie tali scientias effecerunt, uti *Mathesim*, *Astronomiam*, *Physicam*, *Medicam* etc. ita, ut Philosophiae solae fundamentales, et praecipuae rationales cognitiones relinquerentur) hinc danda est hoc loco

§. 4.

Notio Philosophiae stricta, et realis.

Philosophia est *scientia rationalis eorum, quae homini ad finem suum ultimum obtinendum praeprimis scienda, et agenda sunt, ex ultimis principiis deducta.* — Dicitur a) *Scientia;* veritates enim suas non *rhapsodice*, sed *systematice* proponit. b) *Rationalis;* sua enim principia, et praecipuas cognitiones e ratione desumit, non tamen penitus negligendo experientiam, magnam hanc generis humani magistram; imo saepe etiam hac, dum vel ratio non clare docet, vel dum experientia, id quod ratio suppeditat, corfirmat, libenter utitur, crisim rationis adhibendo. c) *Eorum, quae homini ad finem suum ultimum obtinendum praeprimis scienda, et agenda sunt;* recta enim cognitio eorum, quae *finem nostrum ultimum* (quem in *virtute*, *et huic proportionata felicitate veritati innixa* consistere, suo loco videbimus) concernunt, et hujus rectae cognitionis debitus usus, praecipuus verae Philosophiae character sunt. d) *Ex ultimis principiis deducta;* hoc quippe proprium est Philosophiae ut

quod

quod nulla alia scientia praestat, illa se in ultima cognitionum humanarum principia inquirenda immittat. Adeoque.

Distingvitur Philosophia ita *stricte sumta* a) A *Philosophia late sumta*, quae est complexus veritatum, ad finem nostrum quoquo modo necessariarum, aut utilium, quaeve multas alias scientias in se complectitur b) A *scientiis* quibusvis *positivis*, et *experimentalibus*; hae enim experientiae, illae autem testimonio partim divino, partim humano superstruuntur. c) A cognitionibus *philosophicis* quidem, sed *rhapsodice* deductis. d) A *Mathesi*, quae licet et ipsa sit scientia *rationalis*, agit tamen solum de *quantitatibus*, ultima vero cognitionis humanae principia investiganda Philosophiae relinquit. (*Confer Feder über Raum und Caussalität.* „pag. 42.) e) A *Philosophia* sic dicta *transcendentali* recentiorum quorundam, qui viam *communis rationis* deserentes, in obscuris quibusdam, et ad vitae commoda nihil conferentibus speculationibus gloriam suam omnem reponentes, scientiam omnium principem fine suo nobilissimo, quantum in illis est, destituunt. f) A *Pseudo-Philosophia* eorum, qui vera falsis, certa dubiis, sacra profanis miscent, variis student systematibus, luxuriam in scientiae suae sinu abscondunt, vitiis sapientiam inscribunt, bonos mores, Religionemque corrumpunt, et vel ideo praeclaro *Philosophi* nomine prorsus indigni evadunt.

Nota. Dum notio Philosophiae accurata danda est, (in qua tantopere dissentitur, ut quot auctores, tot fere sententiae compareant, (*Confer Wenzel Elem. Philos. §. VII.*) etiam recentissimi Philosophi consultum esse agnoscunt, veterum vestigiis insistere, qui ipsam ut *Doctrinam de Summo Bono* proposuerunt, et qua talem

solnerunt, licet deinde in *Notione Summi Boni* determinanda, ita sicut recentiores, discrepaverint. (vide Kantii *Crit. Rat. Pract. Rigae* 1792. *pag.* 194. *et* 5-*ta*) Ego *Summum Bonum in virtute, huicque proportionata felicitate veritati innixa* reponens, et *subjective*, ut *finem hominis ultimum*, considerans, *Notionem Philosophiae* modo datam, etsi non numeris omnibus absolutam, simplicem tamen, et captui tironum (pro quibus praecipue scribo) accomodatam, ad mentem expositam antiquorum magis prae quavis alia exactam judicavi, eousque, donec me alter meliora docuerit.

§. 5.

Divisio Philosophiae.

Licet sicut Ratio, ita et Philosophia proprie *una* sit; quia tamen et rationis *usus* duplex est: alter, dum ea, quae nobis ad finem ultimum obtinendum sunt necessaria, solum cognoscimus, et de illis cogitamus, quive *theoreticus* vocatur; alter, dum cognitionibus his nostris conformiter agimus, et qui *practicus* audit: ita etiam Philosophia dividitur in *theoreticam*, et *practicam*; illa est, quae, quid possit, vel debeat homo scire, conformiter fini suo ultimo, proponit, mentemque notram sola cognitione rerum imbuit; haec vero determinat, quid et qua ratione homini agendum sit, ad eundem finem.

Pars theoretica Philosophiae vel universales leges cogitandi, idest *Formam*, seu modum *cogitationis* proponit, et vocatur *Philosophia formalis*, alias *Logica*; vel ipsam *rerum* cogni-

tionem intendit, et appellatur *Philosophia materialis*, alias *Metaphysica.*

Pars vero *practica* Philosophiae vel docet, quid bonum justumque sit interne, et vocatur *Ethica stricte sumta*, vel *Aretologia* i. e. scientia virtutis: vel proponit, quid externe sit bonum et justum, appellaturque *Dicaeologia* s. scientia juris.

Nota 1. Praeter enumeratas hic scientias recentissime etiam *Aesthetica*, ceu constitutiva pars, addi solet per quosdam Philosophiae; sed minus recte; Aesthetica enim fundatur in originariis et animae humanae innatis formalibus legibus vis imaginandi, non intellectus et rationis, et originariam tantum legalitatem mentis nostrae proponit in dijudicando aliquo objecto relate ad vim nostram imaginandi, et sensiones excitandi. Verum quidem est, quod propter intimum nexum virium animae vis imaginandi in sphaeram quoque rationis semet insinuet, ast ipsa objecta hujus intuitu solum suiipsius adeoque fine sensionum excitandarum pertractat, Philosophia e contra fine cognitionum adquirendarum. In applicatione legum vis imaginandi Aesthetica est penitus independens a cognitione per se subsistentis et a regulis intellectus et vis judicandi, nisi hae ipsi contra naturam violenter immisceantur.

2. Minori adhuc jure adnumeratur Philosophiae *Paedagogia;* quae est tantum maturo et rite exercitato judicio facta applicatio principiorum philosophicorum ad educationem et culturam humanitatis.

3. Idem judicandum est de aliis quoque Scientiis, e. g. *Politiae oeconomiae etc.* quae si ob paucas, quae ipsis immisceri solent, philosophicas cognitiones ad ambitum Philosophiae pertinerent, nulla esset, quae eo referri non deberet. *C. Bölcselkedés I. Darab.* 22. *L. Jegy*

Philosophie von Aug. Mathiae S. 8. Anm. etc. E contra

4. *Scientia Juris Naturae*, pars essentialis *Philosophiae practicae*, et *Scientia virtutis* necessaria praevia conditio, quam infauste huic postponatur et a matre sororeque avulsa quam iniquum inter *Scientias positivas* exilium patiatur! clarius est, quam ut dici debeat.

§. 6.

Objectum Philosophiae.

Objectum cujusvis *Scientiae* est id, de quo illa agit, hinc etiam *Objectum Philosophiae* illud erit, de quo illa agit; agit vero Philosophia de illis omnibus, quae homo conformiter suo fini praeprimis scire, et agere debet; quorum alia sunt nobis *interna*, cujusmodi est *anima nostra*, hujus *diversae vires*, et *agendi leges*; alia *externa*, cujusmodi est *mundus*, et hujus *Auctor Deus*; haec proinde omnia Philosophia sinu suo comprehendere, ex ultimis principiis deducere, et quomodo secundum has cognitiones vivendum homini sit, docere debet.

§. 7.

Fons Philosophiae.

Cum Philosophia ea, quae homo apposite ad suum finem ultimum praeprimis scire, et agere de-

bet, ex ultimis principiis deducta proponat, hoc autem praecipue per Rationem fieri possit; patet *primarium* ejusdem *Fontem Rationem* esse. Dixi *primarium*; cum enim omnis cognitio incipiat ab *Experientia*, et haec eadem suppeditet materiam cognitionibus etiam Philosophicis, licet illis deinde formam ratio superaddat exquirendo earum ultima principia, easque rite demonstrando; hinc, *saltem secundarius fons Philosophiae* etiam *Experientia* dici poterit.

§. 8.

Scopus Philosophiae.

Scopus Philosophiae est, rationem humanam aptam reddere ad hauriendas e proprio, ut ita dicam, fundo cognitiones, et veritates, voluntatemque secundum has cognitiones in bene agendo ad finem manuducere; sic enim tantum satisfacit momentosae illi, et generi nostro tantopere utili quaestioni, cui juxta *Reinholdium omnium nostrorum officiorum*, *et Jurium in hac*, *et omnium exspectationum in ventura vita fundamentum superstruitur*, et quae per Kantium in tres has resolvitur: a) *Quid potest homo scire?* b) *Quid potest, et debet agere?* c) *Quid potest post haec sperare?* harum proinde quaestionum solutio totius Philosophiae *resultatum* esse debet.

§. 9.

Nexus Philosophiae cum aliis Scientiis.

Philosophia, quatenus in ultima stamina et principia omnium eorum, quae cognosci possunt, et debent, inquirit, merito fundamentum reliquarum quarumvis Scientiarum appellatur, ut adeo sine Philosophia nulla cognitio humana *scientifica* esse possit, utpote *Systemate*, *Claritate*, et *Necessitate* destituta; hinc Philosophia cum omnibus aliis Scientiis arctissime *connectitur*.

In peculiari tamen *nexu* est a) cum *Theologia revelata*; Philosophia enim (ut cetera sileam) demonstrando existentiam Dei, ipsum fundamentum Theologiae suppeditat, proponit criteria Revelationem genuinam a confictis discernendi, et regulas authenticum sacrae Scripturae sensum eruendi. b) Cum *Jurisprudentia positiva* cujusvis nationis; nam conceptus *Justi*, et *Injusti*, qui in omni jure positivo fundamentales sunt, desumuntur e Philosophia, et conceptus hi ad multiplices hominum actus applicari, actusque humani rite dijudicari nequeunt sine accurata principiorum philosophicorum notione; hinc non *Jurisperitus*, sed *Idiota* est ille, qui aliquid ideo tantum habet pro *recto*, et *jure*, quia qua tale in *corpore juris* statuitur, et non minus ridendus est: quam is, qui ideo solum aliquid appellat *officium*, quia ei tamquam officium a superioribus imponitur. c) Cum *Physica*, et cognatis scientiis, uti *Historia naturali*, *Oeconomia rurali*, *Medica* etc.; hac enim omnes formam systematicam, claritatem, et

soliditatem suam a Philosophia mutuantur. d) Cum *Mathesi*, quae praecipuas suas veritates notionibus e Philosophia praesuppositis superstruit; denique e) cum *Historia*, haec quippe per Philosophiam consequitur vitam, et vigorem, evaditque vere *pragmatica*, quatenus praescribit, ut in eventibus generis humani inquiratur ubique in causas proximas, et remotas, item in fines illos, ad quos eventus dirigebantur, necnon in media, per quae eventus illi producti sunt, denique in consectaria, quae ex eventibus enata fuerunt; Philosophia praeterea suppeditat regulas dotes Historicorum ipsorum dijudicandi, monumenta sincera a suppositis, eventus certos ab incertis, aut plane confictis discernendi.

§. 10.

Utilitas Philosophiae.

Ex hucusque dictis summa *Utilitas Philosophiae* jam apparet; sane scientia talis, quae ultima principia cognitionis humanae detegit, facultatis cognoscitivae limites determinat, leges cogitandi assignat, cognitiones nostras claras, ordinatas, solidas, et sic vere *scientificas* efficit, intellectui sedula inquisitione in campo experientiae versanti viam securam exhibet, regulas recte agendi evolvit, ex omnibus aliis scientiis succum quasi extrahit, insuper sollicite cavet, ne fides religiosa deficiat, ne superstitio, praejudicia, et morum dissolutio irrepant, ne auctoritas Legum, et Principum quidpiam patiatur, atque ita hominem fini suo ultimo appropinquare facit; summae sit dignitatis, pretii, et utilitatis oportet: haec

autem Scientia nobilissima est Philosophia nostra; ut adeo, qui Philosophiae vel levem maculam inurere praesumeret, is malevolus, aut ignavus, vel imperitus dicendus foret, rectumque usum, ab abusu distingvere aut nesciret, aut nollet.

§. 11.

Dotes veri Philosophi.

Interim, ut Philosophia fructus istos ferat, verus ejusdem cultor sequentibus *Dotibus* instructus sit, necesse est: a) studeat nonnisi talibus cognitionibus locupletare intellectum suum, quae recte vivere doceant, memor illius dicti Socratici „*Philosophari non debemus pro Schola, sed pro communi vita.*“ Certe is, qui, ad exemplum quorumdam recentiorum, theoreticis solum speculationibus occupatus, voluntatem suam excolere, et mores perficere negligeret, non Philosophus, sed, ut Socrates eum nominat, *Philodoxus* appellandus esset: sicut nec is unquam nomen veri Philosophi meretur, qui spreta Theoria ad solam partem practicam Philosophiae incumberet; *Praxis* enim, cum sit applicatio cognitionum per Theoriam acquisitarum, sine *Theoria* bene subsistere nunquam potest; itaque Theoriam cum praxi conjungere, seu, ut boni evadamus, discere debemus, sic tantum veri Philosophi evasuri. b) Meminerit, intellectum humanum etsi multa scire, suos tamen habere limites a sapientissimo Creatore defixos, quos transgressus in regione somniorum, et inanium phantasmatum versabitur: sic intelliget institutionem quampiam superiorem (*Revelationem*) homini esse necessariam, et licet

eam non perspiciat, veram esse posse.‡ c) Non dubitet de omnibus, sed nec omnia, quae dicuntur, pro veris, et certis habeat; etsi enim non omnia sint certa, quae nobis talia videntur, neque tamen sunt ex adverso omnia etiam incerta, et dubia; inquirat proinde, utatur sua ratione, et nonnisi argumentis validis convictus sententiam ferat. d) Non sit partium studiosus, neque juret in verba magistri, aut auctoris cujusdam, non fugiat labores, non praecipitet judicium, neque unquam sententiae suae, vel systemati mordicitus adhaereat, sed ab his omnibus, tamquam totidem veritatis cognoscendae obicibus, alienus, nonnisi ob rationes ex ipsa rei natura desumtas quidpiam affirmet, vel neget. Denique e) attendat, num cognitio aliqua dijudicanda veritatibus jam cognitis repugnet, vel consentiat? si primum, suspendat judicium, et investiget, an repugnantia tantum apparens sit? si alterum, adhuc inquirat, num repugnantia aliqua lateat?

§. 12.

Scientiae subsidiariae Philosophiae.

Scientiae illae, quarum diligens tractatio studium Philosophiae adjuvat, quibus proinde ipsa carere non potest, *Scientiae, subsidiariae Philosophiae* nominantur. Quales praecipuae sunt: *Mathesis*, *Physica universa*, *Philologia*, et *Historia* tam *communis*, quam *literaria propria Philosophiae.*

a) *Mathesis* auxiliatur Philosophiae per Methodum suam demonstrativam, et strictum in cogitando ordinem. b) *Physica*, per observationes,

et experientias, quas nobis suppeditat, et quibus praeservat, ne intellectus humanus in vanis subtilitatibus, et figmentis operam suam ponat, quod communiter illis evenire solet, qui experientiam negligunt. c) *Philologia*, seu studium antiquarum lingvarum, prodest Philosopho ideo; quia lingvis veterum imbutus, non solum fontes ipsos adire, sed etiam propria cogitata extendere, corrigere, et eo clarius, feliciusque aliis communicare valet. d) *Historia generatim accepta* amica est Philosophiae in tantum; quod materias suppeditet ad philosophandum summi momenti, quod motiva, et elateres animi ostendat, quibus homines ad agendum omni tempore ducebantur, quae respraecipue in Philosophia *practica* magni usus est. Quia vero e) etiam fata memorabilia, mutationes, cultoresque Philosophiae, cum horum laudabilibus conatibus, et studiis noscere, multum prodest Studio philosophico; hinc *Historiam* quoque *literariam Philosophiae*, quae horum omnium fide digna narratio est, inter subsidia Philosophiae numeramus; et quia in limine cujuscunque artis, et scientiae moris est, Historiam ejus texere, priusquam rem ipsam aggrediamur, Historiam litterariam Philosophiae paucis complectemur, in quatuor *Periodos* distributam, ita: ut *prima Periodus Historiam Philosophiae antiquissimi aevi, secunda medii aevi, tertia recentioris aevi, quarta* demum proponat Historiam *aevi rencentissimi.*

Nota Cum Historia literaria Philosophiae ex indole sua late nimis pateat, animumque cognitionibus solidis excultum praerequirat, qualis tironum et incipientium Philosophiae non est; hinc nos hoc loco levissima tantum ejusdem rudimenta attingemus, uberiora partim sin-

gulis partibus Philosophiae praemissuri, partim alias expondituri.

§. 13.

Historia Philosophiae.

Periodus Prima.

Historia Philosophiae aevi antiquissimi.

Cum Philosophia in genere accepta sit cognitio causarum, et legum, cur vel per naturam rerum, vel per libertatem hominum aliquid fiat, vel fieri oporteat? observatione, et meditatione acquisita; suapte intelligitur, ejus initia omnia ad solos Graecos restringi non posse, licet Philosophiae perfectioris, et jam *systematicae*, natales in Graecia tantum reperiantur, et *conditores Philosophiae*, quorum scripta, vel adminus sententiae, indubitata fide ad nos pervenerunt, *Graeci* dicendi sint.

Sane in Protoparente generis humani Philosophiam cumulatam fuisse, sacrae Paginae (quarum auctoritatem quivis agnoscere debet) clare loquuntur; succrescentibus vitiis hominum deinceps collapsa quidem est, non tamen unquam ita ab orbe exulavit, ut non quavis aetate reperirentur apud diversas nationes viri cognitione rerum naturalium (*late philosophica*) conspicui; ut adeo hoc sensu Philosophia coaeva sit generi humano.

1.) Status Philosophiae apud Nationes Barbaras.

Graeci omnes gentes, quae Graeciam proprie dictam non incolebant, adeoque tum lingva, tum moribus, et Religione ab ipsis discrepabant, *Barbaras* appellarunt; tales erant: *Chaldaei*, *Persae*, *Indi*, *Phoenices*, *Aegyptii*, *Aethiopes*, *Chinenses*, *Scythae*, *Celtae*. etc. — Apud has Gentes quaedam, licet tenuissima, elementa Theologiae, Ethicae, et Politicae viguisse, ne ipsi quidem Graeci, secus omnium Scientiarum, et artium inventionem sibi vindicantes, negant, et nomina *Magorum*, quibus Persarum, *Brachmannorum*, quibus Indorum, *Bardorum*, et *Druidum*, quibus Celtarum Sapientes per Scriptores antiquos notantur; item *Zoroaster*, *Belus*, *Berosus* apud Chaldaeos, *Jobus* apud Arabes, *Sanchoniaton* apud Phoenices, *Hermes* apud Aegyptios, *Confucius* apud Chinenses, *Anacharsis* apud Scythas, cognitione rerum illustres, neque nos dubitare sinunt. Quod autem Gentium harum eruditi scita sua superstitionibus, et fabulis immixta, *mythologice* et *hieroglyphice* conceperint, et consignaverint, inde minime sequitur, eos plane philosophatos non esse.

2.) Status Philosophiae apud Graecos.

Graeci erant primi, qui eventuum naturae causas, judicandi regulas, et morum leges cogitando abstrahere, earum cognitionem ordine aliquo disponere, atque ita Physicam, Logicam, et

Ethicam condere coeperunt. — Horum quidem etiam Philosophia primo fabulosa erat, maxime per Poëtas *Orpheum*, *Musaeum*, *Hesiodum*, et *Homerum* promota, usque ad tempora *Lycurgi*. — *A Lycurgo* usque ad *Thaletem Milesium politica philosophandi ratio* viguit; id est: temporis hujus Sapientes plerique Legislatores, et Civitatum Rectores erant, atque qua tales, morum, et prudentiae regulas tradebant, de constituendisque, et regendis Familiis, ac Rebuspublicis praecipiebant; tales erant illi nomine *septem sapientum* noti viri, *Thales Milesius*, *Solon Atheniensis*, *Chilon Lacaedemonius*, *Pittacus Mytilenaeus*, *Bias Pryaeneus*, *Cleobulus Lindius*, et *Periander Corinthiorum Tyrannus*.

Deinceps *Thalete Milesio*, et *Pythagora Samio*, aliisque Auctoribus Philosophia aliam formam accipiens, magis effloruit, qui diversas *Sectas* (Scholas philosophicas) condiderunt, e quibus celebriores, et quasi reliquarum matres sunt: *Jonica* per Thaletem, et *Italica* per Pythagoram fundatae; ex Jonica quippe *Socratica*, *Academica*, *Peripatetica*, *Cyrenaica*, *Cynica*, et *Stoica*; ex Italica vero *Eleatica*, *Sceptica*, *Heraclitea*, et *Epicurea* sectae, tamquam totidem filiae, natae sunt, Philosophiaeque sequentes vicissitudines pepererunt. —

Nempe: a Thalete ad *Socratem*, praecipuum ejus discipulum, partim *physica* et *metaphysica* de rerum principiis et causis, partim *dialectica* de vero et falso, horumque criteriis philosophandi, partim *sophistica* in utramque partem disputandi ratio et methodus dominabatur: atque per *Jonicos*, *Pythagoreos*, et *Eleaticos* (quorum princeps *Xenophanes* fuit) exercebatur. — A Socrate usque ad *Epicurum pars practica* Philosophiae praecipue colebatur, per *Socraticos*, *Cy-*

renaicos auctore *Aristippo*, per *Academicos* auctore *Platone*, per *Cynicos* auctore *Antisthene*, per *Stoicos* auctore *Zenone*, et per *Epicureos* auctore *Epicuro*, e quibus alii tantum *honesta*, et *turpia*, ut v. g. Stoici, alii tantum *jucunda* et *molesta* uti Epicurei, in *bonis*, et *malis* reponentes, *finemque hominis* partim *felicitatem*, partim *virtutem* esse dicentes, hodiernis *Eudaemonistis*, et *Puristis*, praeluserunt.

Ab Epicuro ad annum 300 post Christum natum partim *systematice*, id est Philosophiam per partes, et principia tradendo, partim *sceptice*, idest principia et criteria veri, ac boni cavillando, aut saltem addubitando, partim *ecclectice*, et *syncretistice*, id est diversa systemata in unum connectendo, philosophabantur Graeci. — Huc pertinent: *Peripatetici* auctore *Aristotele*, *Sceptici*, seu *Pyrrhonici* auctore *Pyrrhone*, *Novi Academici* auctore *Carneade*, denique *Alexandrini*, et *Neo-Platonici*, quorum principes sunt; *Potamon*, *Clemens Alexandrinus*, *Ammonius*, et *Plotinus*.

Periodus Secunda.

Historia Philosophiae aevi medii.

1) Status Philosophiae apud Romanos.

Apud *Romanos* sicut reliquae scientiae, ita etiam Philosophia nonnisi ultimis temporibus Reipublicae coepit vigere; cum enim hac aetate di-

versa inter ipsos, et Graecos intercederent bella, sicque celeberrimorum Graeciae Philosophorum scripta, et placita ad eos pervenirent, factum est, ut Roma brevi praeclaros numeraret Philosophiae cultores, graeca systemata commentantes, et uberius evolventes. — Commemorari hic merentur: *Brutus*, *Varro*, *Cicero*, qui Academicis, *Scipio*, *Cato*, *Seneca*, qui Stoicis, *Lucretius*, *Plinius*, *Lucanus*, qui Epicureis, *Apulejus*, *Atticus*, *Plutarchus*, qui Platonicis praeprimis adhaeserunt, — Plerisque tamen inter Romanos plurimi fiebat Philosophia Stoica, eo quod haec ipsis, alioquin Patriae et Libertatis nimium studiosis, acriores videbatur addere stimulos, quam quaelibet alia; interim haec, et omnis reliqua Philosophia Romanorum, everso eorundem per incurrentes Barbaros Imperio, non multo post penitus concidit.

2) Status Philosophiae apud Christianos.

Sub Augusto Romanorum Imperatore, cum ecclectica philosophandi ratio Alexandriae in Aegypto invalesceret (quo eruditi ejus temporis ob insignes scientiarum opportunitates numerosi confluxerunt), hoc autem recte tempore Aegyptus luce Evangelii collustraretur; multi e Philosophis ecclecticis Christo nomen addixerunt, Alexandriaeque distinctam pro Christianis Scholam aperuerunt, ex qua deinde multi sapientia, et morum integritate conspicui viri prodieruut: *Athenagoras*, *Pantaenas*, *Justinus*, *Iraeneus*, *Origenes*, *Clemens Alexandrinus*, *Lactantius*, *Tertulianus*, *Augustinus* etc. qui omnes Philosophiam non Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, et Aristo-

telicam, sed quaecunque a Graecis Philosophis recte tradita sunt, *quae docent Justitiam cum pia Scientia, hoc totum selectum Philosophiam dicebant*, adeoque veri nominis *Ecclectici* erant; hoc tamen certum est; quod primi Christiani in Doctrina Morum Stoicos, in Logica Aristotelem, in Metaphysica Platonem prae aliis secuti sint, et huic quidem ideo potissimum adhaeserunt, quod ejus principia cum placitis Religionis Christianae facillime componi posse viderentur; unde etiam *Neo-Platonici* appelati sunt.

Floruit Secta haec inter Christianos primis quatuor Ecclesiae saeculis; sed cum invenirentur aliqui, qui placita Gentilium Philosophorum cum Religione Christiana concilarent, illaque huic aut praelusisse, aut plane praestare dicerent; Antistites Philosophiam hujus temporis odisse coeperunt, quod ipsorum odium non *rationem philosophantem* in genere, neque sanum philosophandi studium simpliciter spectabat; sed *rationem falsis systematibus obnoxiam, et ab his profecta philosophandi studia ad corrumpendam, vel criminandam Religionem Christianam adhibita.* — Accesserunt huc bellorum tumultus, Barbarorum depopulationes, odia inter Graecos et Latinos, quibus et aliis causis evenit; ut saeculis VI. VII. VIII. sicut Scientiarum fere omnium, ita et Philosophiae studium jaceret, rarique aetate hac invenirentur inter Christianos, qui recepto hodie vocabulo *Philosophi* apellari possent.

Interim licet saeculis his, et proxime subsequentibus tanta, quanta prioribus, non deprehendantur Philosophiae excultae vestigia; dici tamen universim nequit, nullos exstitisse inter Christianos saltem *latiori sensu* acceptos Philosophos; in hanc enim aetatem incidunt *in Ori-*

ente tempora *Caesaris Bardae*, *Michaelis Psellii*, *Photii*, et *Leonis Imperatoris*; *in Occidente* vero *Caroli Magni*, *Alcuini*, *Eginhardi*, et *Alfredi Angliae Regis*, ut sileamus de *Italis*, quorum viros doctos Principes isti in suas Scholas evocare solebant.

Nota. Genuinae Philosophiae studium, et puritas Religionis Christianae, quod in uno eodemque ingenio, et animo consitere possint, *S. Pauli*, *Augustini*, aliorumque Christianorum effata, et exempla clare loquuntur, et ipsius etiam Religionis Christianae indoles, ac tendentia manifeste probat; haec enim *Rationem philosophicam*, id est veri, et recti indagatricem, intra limites suos continet, adjuvat ejus naturalem intelligendi vim, eamque, ut potentiam suam examinet, aestimet; ut falsorum systematum, inanium auctoritatum, et sensualitatis jugum dejiciat, gravissime admonet.

3.) Status Philosophiae apud Arabes.

Quamvis *Mahomedes*, et ejus successores, quidquid scire hominum interesset, in suo *Alcorano* contineri existimarent, impedire tamen non poterant, quominus Graeci *Mahomedanos*, victores suos, ad studium Philosophiae excitarent, sicque aliae etiam scientiae, et artes apud ipsos, etsi difficilius quam alibi, aditum invenirent. — *Califa Al-mansur* Jurisprudentiae, Philosophiae, et Astronomiae principiis non leviter imbutus, civitates suas *Bagdadum*, et *Bassoram*, Scientiarum sedes constituit; ipse, et ejus successores, praeprimis *Almaimon*, Scholas publicas, et Bibliothecas condiderunt, literatos viros undique evo-

carunt, stipendiis, et honoribus auxerunt, multaque opera graeca in lingvam suam transponi curarunt, inter quae praecipue Aristotelis libri logici, et methaphysici erant, sicque factum est, ut omnem *Arabum* Philosophiam Logica, et Metaphysica Aristotelis, male quidem conversa, absolveret.

Cum vero tardius Arabum Philosophi una et Medicae Professores essent, quae tota in factorum observatione, et causarum investigatione versatur, adeoque observandi et investigandi facultatem alit; proxime a vero philosophandi fonte, et via aberant, verum praejudicia, aliaque impedimenta obstiterunt, quin eam cernerent, et prosequerentur, aut plane (ut quidam volunt) *coecutienti tum in tenebris ignorantiae Europae lumen scientiarum accenderent*: hinc etsi nomina *Avicennae*, *Abulkasem*, *Avenzoar*, *Omar*, *Ben-Ibraim* etc. in perpetua gratae posteritatis memoria futura sint, imprimis ideo, quod viri isti pretiosa antiquitatis monumenta sedulo conservaverint, et signa numerorum arabica (ut quibusdam videtur), invenerint; reliquum tamen, quod Arabibus orbis Europeus debet, *Alchimia*, *lusus Chartifoliorum*, et *corruptio Fabularum romanensium* est.

4.) Status Philosophiae apud Scholasticos.

Eruditi illi, qui Saeculis XII. XIII. XIV. XV. per Europam in publicis Scholis philosophicas, et theologicas Scientias tradebant, *Doctores Scholastici* vocabantur, quibus jam saeculo VIII. *Joannes Damascenus* in Oriente, Aristotelis dialectica, et moralia principia in suis *quatuor de Fide Orthodoxa Libris*, adhibens, praelusit.

— Erat Philosophia Scholasticorum, propter theologicae Scientiae dominatum, scientia saecularis, profana, et Theologiae quasi ancilla, nonnisique in Dialectica, et subtili Metaphysica consistebat, in qua doctrinas, per Theologiam Scholasticam sancitas, alii subtilibus impetebant difficultatibus, alii multo majoribus subtilitatibus defendebant. — Scholastici Logicam, et Metaphysicam non ex graeco, sed ex male converso per Arabes Aristotele communiter hauriebant, quem variis subtilitatibus, et barbaro dicendi genere adhuc magis obscurabant, et corrumpebant, quod malum plures deinde protulit occultos *Scepticos*, et *Atheos*, pluribusque Sectis occasionem dedit, quales sunt: *Nominalium*, *Realium*, *Thomistarum*, duce *S. Thoma Aquinate*, *Scotistarum*, duce *Joanne Dunscoto*, et *Neutralium*.

Interim gustus literarius Scholasticorum, licet ad cynosuram moderni formatus non fuerit, non fuit tamen etiam ita depravatus, ut omnium doctorum hominum ingenia captiva teneret (*conf. Tiedemanns Geist der speculativen Philosophie 4. Band. Marburg* 1799); nunquam sane in opinando opinionibusque tuendis major, ac apud scholasticos, fuit libertas; discipuli tam in publicis disputationibus, quam in suis libris palam a suorum Magistrorum sententiis discedebant, idque impune. Doctissimi autem quique viri hujus aetatis: *Abelardus*, *Petrus Lombardus*, *Albertus Magnus*, *Alexander Halesius*, *Thomas Aquinas*, *Joannes Dunscotus*, *Durandus*, *Occamus* etc. opiniones suas ecclectice, seu, ut tunc dici amabat, *quodlibetice* proponebant, momenta scilicet utriusque partis adferebant, et suam demum sententiam modestissime adjiciebant.

Periodus Tertia.

Historia Philosophiae Aevi recentioris.

1) Prima Tentamina Philosophiae restaurandae.

Saeculo XV. ad finem vergente, dum adhuc Philosophi Scholastici inter se rixarentur, multi liberalius sapere coeperunt; cum enim capta per Mahomedem II. 1453. Constantinopoli, plures Graecorum doctissimi inItaliam confugerent, exemploque suo graecae sapientiae amorem primo quidem Italorum, deinde Anglorum et Germanorum animis instillarent, scientiae ipsae non poterant non reviviscere, atque denuo laetius florere; accedebant Principum Europeorum, et Romanorum Pontificum singularis in literas literatosque propensio, ac munificentia, nec non *artis typographicae* circa idem tempus (1440.) *per Joannem Guttenberg* facta utilissima inventio, qua graecorum latinorumque Scriptorum lectio plurimum juvabatur.

Atque his, aliisque feliciter concurrentibus causis pedetentim evenit, ut sanior philosophandi ratio Scholasticorum subtilitatibus, et barbariei succederet.—Memoratu hoc loco dignissimi sunt: *Petrus Ramus*, *Laurentius Valla*, *Agricola*, *Vives*, *Brunus*, *Campanella*, *Cardanus*, et ceteri Saeculi XV et XVI Scriptores; quorum conanima ad restaurandam Philosophiam adhibita, etsi infirma, et tenuia fuerint, tamen, quatenus recte philosophandi vias, et fontes aperuerunt, nunquam satis laudanda sunt. — Illud do-

lendum, quod ita denuo renascens intellectus cultura, theologicis, quas *Lutherus* moverat, litibus multum turbata, et impedita sit. (Vid. *Schmidts Geschichte der Deutschen*, et *kurzer Abriss der alten und neuen Philosophie. Bamberg.* 1802.)

2.) Felicior Philosophiae Emendatio Saeculo XVII.

Saeculo demum XVII. feliciores erant prospectus Philosophiae; viri enim celeberrimi *Cartesius*, *Lockius*, *Leibnitius*, praeeunte *Bacone Verulamio*, Regni Angliae Cancellario (cui reformatae per Europam Philosophiae gloria praeprimis debetur) Philosophiae novae condendae, aut saltem ad pristinam sanitatem reducendae, non solum publica consilia iniverunt, sed etiam scriptis operibus specimina dederunt: licet etiam hoc tempore, cum nonnulli veterum Graecorum Philosophiam mutatis formis instaurarent, auctae sint discordiae, et *Scepticismus* novum incrementum acceperit.

Systema quidem illud Philosophiae, quod *L. B. Wolf* post Leibnitium in Germania adornavit, primo omnium votis, et postulatis satisfacere videbatur, eo, quod methodo mathematica pertractatum principiis superstructum esset, et omnes, planeque novas Philosophiae partes complecteretur, atque aliis etiam scientiis emendandis serviret: attamen, quia neque istud esset sine naevis, et adversariis, cumque ingeniorum humanorum ea sit natura, ut systematis aut taedio capiantur, aut familiaritate relaxentur; nonnulli, praecipue Philosophiae publici professores, sine systemate philosophari coeperunt, et excusso sy-

stematis Wolfiani jugo, antiquam ecclecticam philosophandi rationem resumentes, philosophicas, aliasque scientias non sine bono successu emendabant.

Eodem hoc tempore, quo Wolfius in Germania inclaruit, *David Hume* in Anglia, modernorum Scepticorum princeps, omnia scita Philosophorum dubiis involvit; affirmavit nimirum Humius a consvetudine solum ita judicandi hoc esse, quod in mundo alterum pro *causa*, alterum pro *effectu* habeatur; cum praeter regulariter *coexistentium* et *successivarum* rerum notitiam, ac consvetudinem nihil esset, cur alia res causa, alia effectus existimetur: his conformiter negavit ex mundo hoc tamquam effectu, ad ejus causam primam, seu Deum, via rationis legitime concludi posse; quae asserta si vera essent, rationis et Philosophiae, quae utique causarum indagatrix est, vis omnis convelleretur. — Commoverat quidem Humius multorum coaetaneorum, praecique Anglorum, in se animos, qui ipsum acriter redarguebant, sed quia partim ex eodem principio egrediebantur, ex quo Humius, partim mentem ejusdem non assequebantur, plene non refutabant, sicque bonae causae plus nocuerant, quam proderant.

Praeter hucusque enumeratos viros commemorari hic adhuc merentur sequentes; *Malebranchius*, *Berkeleyus*, *Spinoza*, *Thomasius*, *Montesquieu*, *Baylius*, *Grotius*, *Hobbesius*, *Puffendorfius*, *Clarke*, *Wollaston*, *Schaftesbury*, *Hutcheson*, *Ferguson*, *Schmit*, *Platner*, *Garve*, *Bilfiinger*, *Baumeister*, *Baumgarten*, *Meyer*, *Mendelsohn*, etc.; qui diversas partes Philosophiae, partim *theoreticae*, partim *practicae*, etsi non aeque cum felici omnes successu, excoluerunt.

Periodus Quarta.

Historia Philosophiae aevi recentissimi.

Etsi Saeculo XVIII proxime praeterlapso quaevis scientiae et artes apud omnes fere Europeas nationes excultae florerent; Philosophia tamen praeprimis per Germanos tractabatur ita, ut aetate hac Germania merito propria sedes Philosophiae appellanda sit.—Possunt autem recentissime inter Germanos distingvi quatuor rationes philosophandi, nempe: *Synthetico-Dogmatica*, *Empirica*, *Kantiana*, et *Hyper-Kantiana*.

1.) Ratio philosophandi Synthetico-Dogmatica.

Methodo demonstrativa coeperunt Germani aetate hac philosophari, et haec sola dominabatur per medium saeculi XVII; nimirum excogitatis passim ad libitum hypothesibus, et possibilitatibus superstruebantur expositiones, et declarationes reales, ludebatur cum conceptibus, quorum objectiva realitas non aliunde potuit probari, quam quod ipsi a contradictione essent immunes: et haec fuit Philosophia *synthetico-dogmatica*.

2.) Ratio Philosophandi Empirica.

Alii vero, qui praejudicio auctoritatis, et scholae praedominantis non tenebantur, observantes in multis apparentium demonstrationum

infirmitatem, viam illam, quam Baco, et Lockius praemonstrarunt, ingredi coeperunt; sua nimirum principia et scita *Experientiae*, et *Conclusionibus analogicis* superstruxerunt, et cum ignorantiam suam circa originarias vires rerum candide faterentur; una *strictis* in rebus naturae *demonstrationibus* locum non esse asseruerunt; quo factum est, quod Philosophia scholasticis pulveribus excussis, et habitu dialectico exuto, simplex, sed placida, et amabilis comparuerit: et haec fuit *ratio philosophandi empirica*, praecipue per *Opera Federi* in Germania promota.

3) Ratio philosophandi Kantiano-Critica.

Primus erat *Immanuel Kant* Regiomontanus in Borussia Philosophiae Professor, qui, pro profunda sagacitate ingenii sui, intellexerat, Humii Scepticismo omnem rationis potentiam, et Philosophiae possibilitatem tolli, atque quasi novus *Copernicus* viderat, errorem hunc nec per dogmaticam, nec per empiricam, quae tunc vigebant, Philosophias refelli posse, hujus causam hanc esse affrmans, quod nec Humius, nec dogmatici, aut empirici Philosophi rationis humanae potentiam hucusque exploraverint, sicque falso existimaverint, facultatem cognoscitivam se objectis conformare debere, cum potius objecta se ad facultatis cognoscitivae indolem, et leges componere deberent.

Quare Kantius novum plane Philosophiae systema conditurus, imprimis *facultatem cognoscitivam* severae crisi, et examini subjecit, ut sic detegeret: quousque rationis humanae limites semet extenderent; opuspue hoc suum *Criticam Ratio-*

nis purae inscripsit; cujus resultatum hoc esset: quod, cum *ratio theoretica* nonnisi secundum suas leges, seu (ut ille loquitur) *Formas nativas*, (quales pro *sensualitate* duas, nempe *Intuitus puros Spatii, et Temporis*; pro *Intellectu* vero duodecim sic dictas post Aristotelem *Categorias Quantitatis*, *Qualitatis*, *Relationis*, et *Modalitatis* statuit), objecta cognoscere possit, hae vero Formae ad res solum prout sub sensus cadunt, (*Phaenomena*) non vero prout in se sunt, (*Noumena*) applicari possint; omnis nostra cognitio limitibus experientiae concludatur: ad objecta vero sensus transcendentia (*Transcendentalia*) qualia sunt v. g. *Deus*, *Simplicitas*, *Libertas* et *Immortalitas Animae*, nec non *Origo mundi*, plane non extendatur.

Ne tamen homines, de momentosis his veritatibus alioquin multum sollicitos, dubio irresolubili involveret, aliud opus, sub titulo „*Critica Rationis practicae*" priori superaddidit, in quo asserit, quod veritates illas magni momenti, quas hucusque ratio theoretica detegere falso sibi visa est, ob necessitates nostras morales *credere*, et tamquam *Postulata Rationis practicae*, absque omni objectiva scientia, assumere debeamus; hinc *rationem practicam* velut humanae voluntatis legislatricem, et rectricem, non solum ejus libertatis iudicem, et vindicem, sed velut omnis Religionis fontem depraedicat; et his suis principiis superstruendam Philosophiam *Criticam* appellari vult.

Initio quidem opera Kantii, propter terminorum obscuritatem, et partim novitatem, partim ex antiquo Scholasticismo mutato plerumque sensu, reductam subtilitatem, orbem eruditum non valde alliciebant; ast postquam in suis „*Prolegomenis adomnem futuram Metaphysicam*,

ut Scientiam" quae tardius edidit, Metaphysicae, qualis hucusque viguit, vel *possibilitatem* aperte negasset; multi dignitate, et doctrina conspicui viri ad illa diligentius scrutanda, et vel probanda vel refutanda semet accinxerunt. — Inter primi generis viros tales praecipui sunt. *Reinhart*, *Schulze*, *Schmith*, *Born*, *Jacob*, *Heidenreich*, *Beck*, *Kiesewetter*, *Mellin*, *Reusz*, *Neeb*, *Mutsele;* alterius vero generis, seu impugnatores inprimis sunt: *Feder*, *Weishaupt*, *Tiedeman*, *Platner*, *Stattler*, *Miotti*, *Zallinger*, *Herder*, ex Hungaris: *Kerekes*, *Rozgonyi*, *Buday*, *Horváth etc.*

4.) Ratio philosophandi Hyper-Kantiana.

Cum vero hi ita de Systemate Kantii inter se decertarent, nonnulli novas Hypotheses assumentes, nova, a Kantiano in multis diversa, subtilioraque Systemata adoptarunt; ideo ipsi *Hyper-Kantiani*, Philosophia vero, quam tractant, *transcendentalis* generatim compellatur; quae tota in detegendo *ultimo cognitionum humanarum Principio* occupatur obscure, et mystice adeo; ut a *Neo-Platonismo*, aut *Cabalistica Judaeorum*, vel *sterili Scholasticismo* parum, aut nihil absit.

Sunt vero hujus *Hyper-Kantianismi* praecipua systemata haec: *Transcendentalis Realismus*, auctoribus *Bardili*, et *Reinhold*, *Tr. Idealismus*, auctore *Joanne Fichte*, *Pantheisticus Realismus* auctore *Wilhelmo Schelling*, *Tr. Synthetismus* auctore *Wilh. Krug*, *Tr. Scepticismus* auctore *Abicht*, *Apodictica Bouterweckii*, denique *Archimetria Prof. Thorild*, quot nomina, tot aenigmata, et *Rationis communis* scandala!

Universim in his, et similibus *transcendentalibus Philosophis*, hodie jam sequentia, ut totidem vitia, notantur: a) quod obscure nimis, et subtiliter scripserint ita, ut vel exercitatissima ingenia sensum eorundem assequi difficulter, et magno cum labore valeant, quod et ipsi fatentur, adversariis suis dicere soliti: *se ab his non intelligi*; b) quod neglectis antea receptis pihilosophicis terminis, cuivis perspicuis, aut novos hactenus inauditos introduxerint, aut antiquos Scholasticorum, alium sensum substituendo, revexerint; c) quod omnes alios, secum non sentientes, quamcumque magni nominis Philosophos despiciant tamquam *Dogmaticos*; d) quod destructo systemate philosophico, tot jam seculorum usu, et virorum eruditorum auctoritate honorato, eliminatisque communis sanae rationis hucusque receptis principiis (quae quamcunque magnus Philosophus admittere, ac revereri debet) sua nova systemata obtrudere ubique nitantur, tamquam certissima, et indubia, prout v. g. facit Kantius cum suo *Criticismo*: ubi tamen nec haec ita firmo stant pede, prout ipsi opinantur.

Hinc est, quod hodie jam, non tantum Systemata Fichtei, Schellingii, aliorumqve, (quae semper a paucis colebantur) verum etiam Criticismus Kantii (qui velut Evangelium Sapientiae suspiciebatur) Germanis ipsis vilescere incipiat, praecipuaque eorum opera in *Doctrina Morum*, *et Anthropologia* excolenda versetur. — Alii vero, praecipue Religioni addictiores, e communibus sanae rationis principiis egressi, nulloque seu antiquitatis, seu novitatis, vel auctoritatis praejudicio irretiti, Philosophiam usibus vitae quotidianae feliciter aptant, et tam publice, quam privatim scriptis, et editis operibus, laudabiliter pertractant.

Nota. In Patria nostra quae specialia fata, et vicissitudines subiverit Philosophia, et quod jam hodie non solo armorum fragoso strepitu terreamus nationes, sed et philospphica eruditione gloriari possimus, narravi in *hungaricae meae Philosophiae*, 1829 *editae P. I, p.* 55. —61.

§. 14.

Philosophemata Praecipua.

E brevi conspectu Historiae literariae Philosophiae, quem hucusque dedimus, apparet, Philosophos omni tèmpore diversas vias philosophandi ingressos, diversa tenuisse systemata, seu *Philosophemata*, quorum praecipua sunt: *Materialismus, Spiritualismus, Scepticismus, Dogmatismus, Formalismus, Empirismus, Rationalismus, Idealismus, Realismus, et Ecclecticismus.*

a) *Materialismus* subjectum repraesentans ab objectis repraesentatis plane non differre asserit; ita docuit *Hobbesius.*

b) *Spiritualismus* e contra subjectum repraesentans, ab objectis repraesentatis realiter diversum esse vult; ita docuerant *Cartesius* et *Malebranchius.*

c) Scepticismus defendit omnem cognitionem philosophicam esse incertam, imo certitudinem esse impossibilem; sententiae hujus ex antiquis auctor fuit *Pyrrho*, ex recentioribus vero acrior propugnator *Humius.*

d) *Dogmatismus* statuit nos veritates philosophicas *apodictice* scire, id est, cognitiones, quas habemus, objectis ipsis consentire, et rationem esse facultatem cognoscendi objectivam; ita tenebant *Leibnitzius Wolfius*, et alii.

e) *Formalismus* docet omnem cognitionem nostram certam limitibus experientiae concludi,

ita, ut etiam de objectis experientiae hoc solum sciamus, quod sensibus nostris videtur, non autem quod in se sunt; sic enim sunt=x Mathematicorum: cognitionem vero objectorum transcendentalium e principiis Rationis theoreticae esse *promblematicam*, id est, pro et contra disputabilem; ita *Kantius*, et alii post ipsum.

f) *Empirismus* affirmat omnes repraesentationes nostras, et cognitiones, etiam maxime abstractas, unice a sensibus provenire, confundens materiam repraesentationis cum tota repraesentatione; *Epicurus* fuit primus hujus Sententiae patronus, huic plus minus accedunt *Aristoteles*, *Hobbesius*, *Lockius* etc.

g) *Rationalismus* statuit, dari cognitiones puras ab experientia penitus independentes; ex antiquis ita sensit *Plato*, ex recentioribus vero *Leibnitius*, *Wolfius* etc.

h) *Idealismus* tribuit objectis tantum existentiam imaginariam, seu idealem, vel *dubie*, prout *Humius*, vel *determinate* prout *Berkeleyus*, vel *transcendentaliter* prout *Kantius*.

i) *Realismus* objectis veram, et realem extra animam nostram repraesentantem existentiam attribuit, Denique.

k) *Ecclecticismus* illorum philosophandi ratio est, qui nulli Sectae philosophicae adhaerentes, ex omnibus quod verum, et bonum inveniunt, plerumque promiscue assumunt; quales erant multi ex *Romanis*, *et primis Christianis*, recentius vero *publici Scholarum Professores*.

Nos cognitiones philosophicas praeprimis e ratione derivaturi, quoad *fontem* Philosophiae *rationalistae*; nihil coece assummentes, sed severae crisi cuncta subjicientes, quoad *methodum* s. formam *critici*: et ad quamvis cognitionem animam qua causam efficientem, objecta vero ceu

conditiones necessarias requirentes, quoad *systema* s. materiam *synthetici* philosophi sumus: adeoque *critico-rationalem Synthetismum* profitemur, ut *inter rationalem et empiricam animae facultatem (quarum morosa et inauspicata divortia et repudia omnia in familia humana turbavere), conjugium verum et legitimum foedere amico in perpetuum firmemus. Baco Ver. in AA. SS.*

Nota. Nonnulli recentiorum reprehendunt, quod *Notiones* hucdum attactae cum *Historia Philosophiae* Logicae praemittantur, ideo; quod, ut *Krug* loquitur, Philosophiae notio *in* et *per Philosophiam possit* tantum recte evolvi, in *Historia* autem *Philosophiae* ea proponantur, quae intellectui Juvenum prorsus sunt impervia, obscura, et relate ad illos nullius momenti: ast si *primum* subsisteret, tunc nec quidem *Logicae* posset illius *Notio, Divisio, Utilitas* etc. praemitti, cum ista *in* et *per Logicam* primo plene evolvantur; quod tamen et *Krug* et sectatores ejus faciunt: quod vero *alterum* concernit, ipse quoque hujus sententiae sum, quod *philosophicorum systematum scientifica enucleatio* pro Juvenibus in Philosophia haud versatis non sit, ideo ipsa Praelectionibus extraordinariis, uti in Universitatibus provide fieri solet, sit reservanda; sed quod tenues tales historicae notitiae de fundamentalibus principiis celebriorum philosophorum, quales hic proposui, pro re nata jam praemissae jam subjunctae, nec juvenibus sint *imperviae, obscurae,* et *nullius momenti*, jam octodecim annorum experientia didici.

PARS PRIMA
PHILOSOPHIAE THEORETICAE
LOGICA.

Leges non ad arbitrium nostrum damus intellectui, sed tamquam scribae fideles ab ipsius naturae voce latas et prolatas excipimus, et describimus.

Baco Verulamius.

Introductio.

§. 1.

Notio Logicae.

Logica a graeca voce λογος (*sermo*, *verbum*, *ratio*) sic dicta, *etymologice* significat, *Doctrinam rationis*; estque *Scientia Legum Intellectus universalium*, *et necessariarum*, *absque omni discrimine objectorum*: seu breviter (ut antiquis placuit) *est* scientia *recte cogitandi*, aut graece „*Dianoeologia*" — Dicitur a) *Scientia Legum intellectus*; quemadmodum enim natura universa legibus subjacet (ut hoc in Cosmologia ostendetur): ita etiam Intellectus humanus suas in cogitando habet leges, quas Logica pertractat. b) *Legum universalium et necessariarum*; leges enim illae, quas Intellectus in cogitando observat, aliae sunt *universales*, et *necessariae*, aliae *particulares*, et *accidentales*; illae sunt, sine quibus nullus usus Intellectus, nulla cogitatio est possibilis: hae vero sunt, sine quibus certus tantum, et determinatus usus intellectus non habet locum; ita v. g. secundum proprias sibi leges operatur Intellectus Mathematici, Juris Consulti, Theologi etc. non has, sed illas leges docet Logica, ideo dicitur Legum universalium, et necessariarum scientia. c) *Absque omni discrimine objectorum*; non enim instruit Logica, quomodo de certo et

determinato aliquo objecto quispiam cogitare debeat: verum, abstrahendo ab omni objecto, generatim ostendit, quomodo homini recte cogitandum sit; et sic, cum non suppeditet *materiam* cogitationis, sed tantum *formam*, recte appellatur etiam *Philosophia formalis.*

Nota. 1. Licet in natura cogitatio cum sua materia connectatur, nihil tamen vetat in Logica illam ab hac sejungere; cum hoc sit proprium quibusvis Scientiis, ut ea, quae re ipsa simul sunt, per ipsas cogitando separentur: quod tamen non ita intelligi volumus, quasi (ut quidam recentiores faciunt) in tractatibus logicis nullum locum, vel ipsis *exemplis* concederemus; abstractio quippe talis nimia captui Incipientium attemperata non est, utpote, qui ad quascunque cognitiones exemplis facillime ducuntur.

Nota. 2. Quia vocabulum λόγος et *sermonem* et *rationem* significat, et quia jam antiqui senserant, inter cogitationes nostras et verba tam arctum intercedere nexum, ut qui recte non novit cogitare, nec recte sciat loqui; ideo Logica olim etiam *Dialectica* (Ars disserendi) appellabatur, et ceu fundamentum et elementaris doctrina *Rhetoricae* spectabatur. Sane quod Dialectica non fuerit originarie solum *Apparentiae Logica* (Logik des Scheins) seu ars fallax per disputationem decipiendi, et aut ignorantiam celandi, aut quibusvis falsis assertis veri speciem conciliandi, ut quibusdam post Kantium videtur, apparet ex pluribus locis Platonis, Aristotelis et aliorum antiquorum, in quibus Dialectica qua res in se bona sistitur, sed tantum sophisticus illius abusus reprehenditur. Interim quia etiam Logica seu Dialectica multi, qua inani arte disputandi (*Eristica*), imo qua arte alios decipiendi et per captiosas quaestiones aut illegitimas argu-

mentationes confundendi (Sophistica) abutebantur; iste abusus hoc effecit, ut ipsa Scientia universim male audiret, et qui honorem ejus vindicare voluerunt, abusum illius titulo *Dialecticae* a recto usu sub nomine *Logicae* distinguerent. *V. Krug's Denklehre S.* 14. *et Esser Logik* S. 6. — Quod vero Kantii Dialecticam (*V. meae Metaphys. pur. Hist.*), quam *Logicae* suae *transcendentali* inseruit, attinet, haec quod originariae significationi hujus vocis non respondeat, jam Platner ostendit (*Aphorismor. T.* 1. *s.* 19), et cur ipsa tantum nomen hoc ferat, non autem et *Analytica*, pars Kantianae Logicae, naturae si non magis, saltem aeque dialecticae, aliam rationem non invenio, quam quia „ipse dixit." — Mihi menti antiquorum proxime accedere videtur eorum sententia, qui *Dialecticam* habent pro rite applicata Logica ad determinata problemata. *V. Bachmann's System der Logik.* §. 275.

§. 2.

Objectum, et Scopus Logicae.

Cum Logica e notione sua agat de legibus cogitandi universalibus, et necessariis, hae ipsius *Objectum* constituunt: recta vero, et scientifica, legum istarum cognitio ejusdem *Scopum* efficit.

§. 3.

Utilitas, et Necessitas Logicae.

Logica docet nos recte et scientifice cogitare, hinc sicut recte cogitare in omni vitae genere,

seu publico, seu privato utile est, studium quoque Logicae *utile esse*, nemo negare potest. — *Necessitas* vero ejusdem praecipue inde apparet: quod ipsa sit Clavis omnium aliarum scientiarum, et ad has praeparatio (*Propaedeutica*), quatenus quaevis aliae scientiae rectum usum facultatis cogitandi praerequirunt, quem Logica dirigit, et dijudicat; ut adeo sine hac in nulla Scientia optatus progressus possit sperari, recteque ipsam hoc sensu appellaverint veteres *Mentis medicinam*. — Utinam hac sibi mederentur multi aetatis nostrae *Scioli, transcendentalesque Philosophi*, qui Logicam contemnentes, et supra, aut praeter, vel contra hujus leges philosophari volentes, Reipublicae inutiles, Religioni noxii, sibi ipsis molesti sunt!

§. 4.

Divisio Logicae.

Logicam nos dividimus in *elementarem*, et *methodicam*; illa supremas leges cogitandi, et praecipuas Intellectus humani operationes, cum harum universalibus, et necessariis legibus inquirit, et proponit, sicque Animam cogitantem in sua quasi elementa resolvit; unde etiam *analytica* dicitur; haec vero viam, modumque ostendit, quo, conformiter legibus cogitandi, cognitionibus nostris *scientificam formam* conciliare, sicque eas *systematice perfectas* reddere queamus; ideo *Systematica* quoque vel *Architectonica* vocatur.

Nota. E multiplicibus divisionibus Logicae, quas diversi Philosophi adoptant, et de quibus coram dici poterit (*vid. Wenzel Elem. Log.* §. 79. *et D. Wilh. Eser. System der Logik* §. 4. 5. celebris est ejusdem divisio in *naturalem*, et *artificiosam*: multi nempe per *naturalem Logicam* intelligunt Facultatem naturalem recte cogitandi longiore usu, et exercitio comparatam, cui deinde, qua *artificiosam*, superaddunt istam, quam nos pertractamus; sed hi non videntur intelligere, quidnam ad rationem *verae scientiae* requiratur? sola enim naturalis dispositio hominis ad cogitandum, obscuraque quarumdam legum recte cogitandi cognitio, et harum ad certa, et determinata solum objecta applicatio, nec *necessitatem*, et *universalitatem*, nec *ordinem* et *claritatem* pariunt, quae tamen totidem esse requisita Scientiarum, deinceps videbimus.

§. 5.

Brevis Historia Logicae.

Logica Aevi antiquissimi.

Cum Facultatem cogitandi creatus ab Auctore naturae homo protinus acceperit, hacque recte utendi regulas reflectendo brevi didicerit; Logica (quae in genere harum regularum cognitio est) *subjective* spectata, seu (ut vocant *naturalis*) natura magistra exorta, ejusdem est aetatis cum intellectu humano ad seipsum reflectente. — At plura debuerant elabi secula, antequam ipsa

objective, idest tamquam peculiare cognitionis objectum, considerata, et in formam systematicam redacta, ut *Scientia* compareret.

Comparuit tandem (etsi in exordio suo, ut quaevis alia inventio, macra, et debilis) cum reliqua Philosophia *systematica* inter *Graecos*; ut adeo sicut Philosophia in genere, ita et Logica *scientifica* graecae originis sit.

Interim, quis primus inter Graecos cogitandi leges in systema redegerit, non aeque constat: nobis praeplacet illorum opinio, qui *Aristotelem* Platonis discipulum, et Sectae Peripateticae fundatorem, Logicae systematicae Parentem esse contendunt; nam a) *Jonici* antiqui Astrorum potius naturam, Syderumqve cursus exploraverunt, quam ea, quae homini interne accidunt, contemplarentur, legesque quibus homo vi naturae suae rationalis in cogitando parere tenetur, disquirerent; unde etiam *Physici* compellabantur. b) *Eleatici* (ex quibus *Zenonem* Aristoteles ipse primum *Dialecticae* inventorem laudat *apud Laërtium lib.* 9), quae in sua Logica tradebant, ad *Dialecticam* potius, et hinc enatam *Sophisticam* pertinebant, quam ad *Logicam*; id enim potissimum egerunt, ut cuncta in utramque partem disputarent, et veri speciem assertis quibusvis conciliarent, ubi tamen Logicae munus unicum est, docere, qua ratione universim recte cogitandum sit? c) *Socrates*, etsi Sophisticae inanis studio semet viriliter opponendo, Sophistarum terror, et malleus evaserit, sicque rem logicam plurimum adjuverit, Logicae tamen systema nullum scripsit, sed potius totus in eo fuit, ut missis rerum inutilium, et quae curiositatem potius, quam animum alunt, speculationibus, Ethicae imprimis emendandae, oralique institutione suis exponendae operam daret; ideo *primus*

de coelo Philosophiam in domicilia hominum devexisse a Cicerone dicitur. — Idem judicandum est d) etiam de *Platone*, Socratis discipulo, qui licet ob ingenii excellentiam, a Tullio *quidam quasi Deus Philosophorum* appelletur; in Logica tamen parum novi invenit, aut praestitit.

Aristoteles proinde fuit primus, qui pro felicissimo suo et systematico ingenio, Theoriam quamdam Logicae, et si multis ex titulis imperfectam, scripsit, pluribusque libris (universim 123 composuisse fertur) comprehendit, quorum multi injuria temporis interierunt, et quos superstites habemus, eos recentior quidam collector *Organi* titulo insignivit. — Organon istud duabus praecipuis partibus constat: *Analytica*, et *Dialectica*; illa potissimum in pertractatione *Syllogismorum* subtilique contemplatione versatur; haec vero *artem disputatoriam* tradit, tum *scholasticam*, tum *forensem*. *Vid. Bruckeri Hist. Philos. Th. I. pag.* 805. *Carl. Fridrich Bachmann System der Logik S.* 569. *u. s. w.*

Post Aristotelem Logica inter Graecos nulla, aut exigua incrementa cepit; licet enim a) *Epicurus* causam veritatis fortiter agens, Sophistarum rigorosissimus antagonista fuerit; quae tamen in sua *Canonica* scripsit, ad Metaphysicam potius, quam Logicam, pertinent: ita b) neque *Stoici* tractabant Logicam pure, qua Logicam, etsi *absque arte logica neminem vere sapientem esse* contenderent; verum multas quaestiones metaphysicas, v. g. de certitudine cognitionum humanarum, praecipue *sensualium*, ad ejus forum transferebant, ipsaque *dialectice* utebantur contra *Scepticos*. Vid. *Platner Phil. Aphor.* §. 25. *Tiedeman Syst. Phil. Stoicae*, *Brucker Hist. Phil. Gassendi de orig. Log.* C. 6. etc.

Logica. Aevi medii

Romanorum.

Romani in studio Logicae novi nihil protulerunt; sicut enim universim quidquid *Sapientiae* apud ipsos reperiebatur, graeco ex fonte haustum est: ita etiam pauca illa, quae in *Libris philosophicis* Ciceronis occurrunt, Logicae capita, e Dialectica Stoicorum (quos prae aliis diligebant) desumta sunt.

Christianorum.

Inter *Christianos* quoque pauca studii in Logicam conversi vestigia occurrunt; hi enim satius esse ducebant, apertas Doctrinae evangelicae regulas sequi, quam subtili speculatione genuinum ejusdem sensum obscurare, aut pervertere; hinc est, quod scientificum etiam Logicae studium non magni fecerint, imo contra hoc aliqui Patres Ecclesiae insurrexerint (*conf. Brucker Hist. Philos. Th. III, pag.* 349.): attamen nec inter Christianos deerant ingenia, quae suam operam, sicut generatim Gentilium Philosophiae, ita et Dialecticae impendebant, ut iisdem, quibus Gentiles contra Religionem Christianam pugnabant armis, contra Gentilismum ipsum uti possent, tales erant v. g. *Justinus*, *Tertulianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Augustinus*, aliique in Historia Lit. Philosophiae citati. — Se-

cule vero aerae Christianae VI. cum ignorantia generatim invalesceret, et deinceps ad Seculum fere XII. duraret, genuinum Logicae studium nulla incrementa exspectare poterat.

Arabum.

Arabes medio Seculi XII. totis viribus Aristotelis operibus (quae jam prius e graeco in suam Lingvam corrupte transtulerunt) insudando, effecerunt, ut Logica quoque ejusdem denuo inclaresceret, et brevi unica fere dominaretur, ita, ut omne punctum tulisse censeretur ille, qui maxima subtilitate in Aristotelis *Quidditates, Haecceitates, Figurasque Syllogismorum* commentari, et in disputationibus publicis non rationum, sed gutturis robore, et sophisticis fallaciis vincere sciret. — Eminebat potissimum inter Arabes Orientales *Avicenna*, qui systema Logicum ex Aristotele scripserat; inter occidentales vero *Averroës*, qui in libros Aristotelis quaepiam commentabatur.

Scholasticorum.

Apud *Scholasticos* eadem fere fuit Logicae conditio, quae apud Arabes; sicut enim his, ita et illis Aristotelis Organon unicum oraculum erat, quod, prout cuique placuit, commentabantur, sicque factum est: a) quod Aristotelis Logicam explicarent quidem, verum infinitis vocabulorum, et fictarum notionum monstris implicatam; b) quod in verba Aristotelis jurantes, scientiam Logicae nullatenus perficerent; c) quod genuinas le-

ges cogitandi parum attingerent, sed plerumque jejunis Sophisticationibus insudarent: quamquam alias etiam aetati huic non defuerint viri, egregiis naturae dotibus instructi, in Philosophiaque (ut in Hist. Lit. Philosophiae vidimus) liberaliter versati.

Logica Aevi recentioris.

Cum Seculis XV. et XVI. graecae et romanae Sapientiae thesauri, faventibus illis, quas in Hist. Lit. Philosophiae indicavimus, occasionibus proferrentur, bonusque gustus literarum per totam Europam reviviscerct; excitatum est etiam desiderium, et susceptum consilium miseram Logicae conditionem emendandi. — Cui consilio etsi *Raymundi Lullii Ars magna* nihil profuerit, effecit tamen, ut Logicae scholasticae corruptio magis innotesceret, et reprehenderetur. — Feliciores Logicae emendatores erant: *Laurentius Walla*, *Rudolphus Agricola*, *Erasmus Rotterodamus*, *Jacobus*, *Faber*, *Marius Nizolius*, *Philippus Melanchton*, *Ludovicus Vives* etc. Omnes vero hos superavit *Petrus Ramus*, qui suis „*Institutionibus dialecticis*, *et animadversionibus Aristotelicis* „Aristotelis- *Arabico Scholastici* dominatum summopere fregit, et Logicam e Scholae barbarie, et obscuritate, ad vitae popularis usum, et antiquitatis elegantiam revocare conatus est.

Tandem sub initium Seculi XVII. comparuit *Baco Verulamius*, cui restauratae per Europam Logicae in primis gloria magna ex parte debetur; vir enim hic celeberrimus Dialecticam a nugis, tricisque Scholasticorum liberaturus, et usibus vitae civilis magis aptaturus *novum Organon* a

vulgaribus Logicis multum diversum edidit, in quo inter alia asserit: Logicam non ad inveniendam veritatem, verum ad praehabitas jam cogitationes inter se connectendas, et ordinandas, aliisque communicandas adhiberi posse, et ipsa, qua Organo cognitionis uti velle, magis nocivum, quam utile esse. — Cui sententiae etiam *Cartesius* in Gallia deinceps subscripsit, licet hic a via *Empirismi*, quem Baco ad reales cognitiones acquirendas denuo restauraverat, desciverit.

Interim accurata haec, per Baconem facta, usus Logicae, limitumque ejus determinatio efficere non potuit, ut patroni per ipsum reducti, et a Lockio consummati *Empirismi*, Logicam, qua *Scientiam solius cogitandi formae* pertractarent; imo hi multas peregrinas materias iterum ad sphaeram Logicae transferebant, sicque ejus objectum et limites confundebant. Sane P. *Gassendi Institutiones Logicae*, *Hobbesii Computationes*, *Malebranchii la recherche de la verite*, *et Methodus recte utendi ratione, veritatemque in scientiis investigandi*, *Tschirnhusii medicina mentis*, *cum medicina corporis*, *Thomasii Introductio ad Philosophiam aulicam*, *Rüdigeri Lib. de sensu veri et falsi*, aliorumque hujus aetatis eruditorum opera; praeter Inquisitiones logicas, multas etiam metaphysicas, et psychologicas materias continent: quod ipsum et de celeberrimis secus, Lockii *Lib. IV. de Intellectu humano* conscriptis valere, inspicienti patebit.

Leibnitius et *Wolfius* inter Germanos erant praecipui, qui hodiernae puritati Logicae praeluserunt, scriptisque operibus consuluerunt: et a) *Leibnitius* quidem, praeter quam, quod complures argumenti Logici dissertationes composuerit, uti de *complexionibus*, *arte combinatoria*, *veritate et ideis*, ex eo laudem potissimam habet,

quod primus Idearum *formaliter* spectatarum accuratam divisionem fecerit, et Logicae, universaeque Philosophiae, a Scholasticismi inanibus quaestiunculis expurgatae, eleganti scribendi genere, et solida argumentandi ratione jucunditatem, majoremque dignitatem conciliaverit. b) *Wolfius* vero in mathematicis philosophicisque meditationibus versatissimus, principia Leibnitii amplius deducens, et in systema redigens, Logicam sub titulo „*Philosophia rationalis*“ in *theoreticam*, et *practicam* partes divisam, publici juris fecit, in qua multa egregia continentur; veluti quod rigidam mathematicorum methodum servet, distinctarum idearum claritatem ubique sectetur, vocabulisque exacte determinatis utatur, et nihil non demonstratum relinquat; licet et Wolfius suos patiatur manes, saepius nempe arbitrariis definitionibus ludit, nimium dividit, multa vilia sectatur, et demonstrandi pruritui plus aequo indulget.

Logica Aevi recentissimi.

Ecclecticorum.

Fastidito Systemate Wolfiano, cum mens humana novo iterum systemati constituendo intenta esset, *Ecclecticismusque* praeplaceret, compendia etiam Logicae novam formam induerunt; cum enim hac occasione Logicae sphaera extenderetur, et principiorum ejusdem severitas pluribus, ad vitam communem spectantibus, rebus mitigaretur: complura capita, quae proprie *logica* non sunt, sed vel *metaphysica*, vel *psycho-*

logica v. g. de *origine Idearum*, de *Scepticismo*, *Idealismo*, etc. in compendia logica translata sunt, ut hoc e *Logica Federi*, aliorumque Philosophiam *popularem* et *ecclecticam* sectantium apparet: sic autem et dignitati et scopo et indoli Logicae male consulebatur.

Negari tamen nequit, etiam in Ecclectico-rum Compendiis logicis plurima in F. cogitandi erudite et acute animadversa reperiri, quae usus uberrimi sunt; sane *Antonius Genuensis*, *Lambertus*, *Reimarus*, *Makó*, *Storchenau*, *Feder*, *Ulrich*, *Roesser*, *Platner*, *Tetensius*, *Handerla*, *Horváth* etc. perpetuam gratae posteritatis memoriam jure sibi vindicant.

Kantianorum.

Universae Philosophiae reformationem ausus *Kantius*, in sua *Critica Rationis purae* (*edit. Ger.* 2. *pag.* 78. *et prae. pag. VIII. IX.*), Logicae quoque indolem, eamque tum dividendi, tum pertractandi rationem modo prorsus novo, et originario exposuit, ita, ut in hoc argumento omnium fere eruditorum judicio laudabilissime versatus sit. Cum enim ante ipsum ecclecticorum et popularium Philosophorum Logica definitos limites non haberet, sed quasi quoddam sapientiae, tum metaphysicae, tum anthropologicae promtuarium esset, cujus ambitum quisque pro lubitu augere, et restringere posset; Kantius eam *Scientiam* mere *formalem* esse recte docuit, ad solius F. cogitandi leges restrictam, et nonnisi circa *Veritatem formalem* (convenientiam cogitationum cum legibus cogitandi) versantem, e qua proinde et metaphysicae et anthropologi-

cae, et quaecunque aliae quaestiones exulare deberent; sicque Logicae *puritati* (quae in quacunque scientia proponenda imprimis attendenda est), et ejus legitimo usui consuluit, plurimaque huc spectantia capita strictius definivit, et accurate deduxit; praeterea Logicam primus in *puram*, et *applicatam* divisit; illam circa Intellectum in genere, hanc vero circa Intellectum humanum in specie, hujusque cogitandi leges versari docuit; licet ipse nullum Logicae compendium scripserit, sed tantum D. *Jäsche* ad ductum ejusdem illud ediderit. — Ipse Logicam hactenus penitus ignotam, sic dictam *transcendentalem*, in lucem protraxit, de qua in Metaphysica loquemur. *L. C. F. Backmann's System der Logik Leipzig* 1828. *S.* 633 — 635.

His principiis Kantii, nutibusque nixi complures alii viri, ingenio non minus, quam meditandi solertia clari, suam aetate nostra reformando Logicae systemati operam laudabiliter impenderunt: si paucos illos excipias, qui post *Fichte*, *Schelling*, *Bardili*, *Fries*, et *Hegel* Logicam aut Metaphysicae subordinant, aut cum hac confundunt, aut plane nullam tractare volunt (*Vid. Metz Handbuch der Logik n*, 50 — 52) — Pertinent huc cumprimis triumviri *Krug Schulze* et *Bachmann*, deinde *Jacob*, *Maas*, *Schmid*, *Tieftrunk*, *Hofbauer*, *Kiesewetter*, *Gerlach*, *Hillebrand*, *Sigvart*, *Herbart*, *Ritter*, *Twesten*, *Rösling*, *Reinhold*, *Metz*, *Wenzel*, *Fejér*, *Ertsei* etc; quorum vestigia nos quoque in multis sequimur, sed ita, ut in aliis et antiquos attenderemus, et libertate propria, ut decet, uteremur. *O. A' Bölcselkedés* 1*ső Dár. Pesten* 1829.

PARS PRIMA
ANALYTICA.

Caput Praeliminare

de

Facultate cogitandi universim, ejusque supremis Legibus, et praecipuis Operationibus.

§. 6.

Facultas cogitandi universim.

Cogitare in genere significat, plures repraesentationes inter se conferre, eas resolvere, ab illis quasdam notas abstrahere, atque ex his novas repraesentationes efformare; vis illa animae, qua hoc totum efficitur, *Vis cogitandi*, seu *Intellectus*, et *Mens dicitur*, estque *Facultas* Animae *superior*: ejus vero productum *Cogitatio*, illud denique, circa quod cogitatio versatur, *Objectum cogitationis* appellatur. Hinc

a) Sicut objectum cogitationis vel est *possibile*, seu tale, quod actu quidem non existit, potest tamen existere, vel *actuale* seu tale, quod actu existit: ita etiam Cogitatio vel est de *materia possibili*, seu *problematica*, vel *actuali*

seu *assertoria*; nempe si cogitemus de objecto tantum possibili, cogitatio nostra est *problematica*: si vero cogitemus de objecto existente, cogitatio nostra est assertoria. Sic e. g. si cogitem vestem pretiosam, quam non habeo, sed possum habere cogitatio mea est problematica: si vero cogitem horologium, quod actu possideo, cogitatio mea est actualis.

b) Dum de objecto quopiam actu existente cogitamus, hujusque aliquam notam nobis repraesentamus, notam hanc vel ita referimus ad objectum, ut judicemus, illam ab objecto etiam abesse potuisse, vel vero ita, ut judicemus, illam abesse non potuisse; in priori casu cogitatio est contingens, seu de materia contingente, in posteriori vero necessaria, seu de materia necessaria. E. g. cogito mihi hominem eruditum, haec nota eruditio cum ab homine etiam abesse possit, cogitatio mea est contingens: e contra cogito mihi hominem, ut animal rationale, cum hae duae notae animalitas et rationalitas, ab homine abesse non possint, cogitatio mea est necessaria.

§. 7.

Leges supremae cogitandi.

Regula generatim est id, quod enunciat, quid aut quomodo sit agendum, vel omittendum; e. g. *enunciatio haec „cibo et potu moderate utere“ est regula*; haec si sit *necessaria*, et *universalis*, id est, sine omni exceptione ad omnes se extendat, dicitur *Lex*, e. g. *suum cuique tribue.* — Inter Leges illae, quibus omnes aliae, ut minores subordinantur, *supremae* audiunt; hinc

hinc *Leges supremae cogitandi* sunt illae regulae, quas Intellectus in cogitando necessario et unversim observare debet: quia vero omnis cogitatio vel est *problematica*, vel *actualis*, et haec vel *contingens*, vel *necessaria*; pro quavis cogitatione supremae aliquae tales leges dari debent, sunt vero istae sequentes, et quidem:

a) *Pro cogitatione problematica*. Lex I. *Notae repugnantes*, id est tales quarum una alteram tollit, in unam cogitationem jungi non possunt; e. g. non possum mihi cogitare hominem honestum, una tamen mendacem, aut circulum, una tamen quadratum. Lex haec suprema, per se manifesta, omnis cogitabilitatis, est celebre illud *Principium contradictionis*, quod ita communiter exprimitur „*Impossibile est idem simul esse et non esse*"; adeoque vi hujus legis illud, cujus notae inter se pugnant, cogitari nequit, est *logice imopssibile, Nonens, Nihilum negativum*. — Lex II. Notae, quae inter se consentiunt, in unam cogitationem jungi possunt; sic e. g. quia eruditio cum aliis notis hominis non pugnat, possum cogitare hominem eruditum. Lex haec vocatur *Principium consensus*, quod a principio contradictionis alias non differt, nisi quod hoc negative, illud vero affirmative enuncietur.

b) *Pro cogitatione contingente* haec est lex suprema: *Quid quid cogitatur, rationem sui sufficientem habere debet*, id est quotiescunque alicui objecto logico notam quampiam tribuimus, aut abnegamus, debet adesse quidpiam, ex quo plene cognoscatur, cur nota illa objecto tribuenda, vel eidem auferenda sit; e. g. si cogitem de Petro, eumque ut divitem mihi repraesentem, debet adesse quidpiam, ex quo cognosci possit, cur Petrus dives sit? quia v. g. thesaurum invenit, hic thesaurus inventus, est ratio sufficiens

divitiarum Petri, divitiae vero sunt rationatum. — Lex haec vocatur *Principium Rationis sufficientis*, et sic enunciatur: *nihil est sine ratione sufficiente* „item: *posita ratione sufficiente, ponitur rationatum*, et *posito rationato, ponitur ratio sufficiens, nec non vice versa.*

c) *Pro cogitatione necessaria* ista Lex suprema obtinet: *cuilibet objecto, quod determinare volo, e duabus notis condradictoriis alterutra necessario tribuenda est;* e. g. Si cogitem de mundo, et cum eo duas has notas aeternus, non aeternus conferam, alterutra harum mundo necessario tribui debebit, ita ut cogitandum sit: mundum vel esse aeternum, vel non aeternum; cum medium non detur. — Lex haec appellatur *Principium exclusi medii* vel *Determinationis*, estque consectarium principii Contradictionis.

a) Kantius in sua *Critica rationis purae pag.* 191. et post eum alii, formulam illam receptam principii Contradictionis in istam transmutarunt: *non competit praedicatum subjecto, quod eidem repugnat;* quae tamen 1-o naturam principii Contradictionis adaequate non exprimit; fieri enim potest, ut praedicatum, quod modo subjecto cuipiam repugnat, alias eidem conveniat, et quam multa praedicata non repugnant, quin tamen illa mihi competant! 2-o Formula hac expressum principium Contradictionis. *primum principium cogitandi* (utpote quod *per se clarum, nulli subordinatum*, et *indemonstrabile* esse debet) agere non potest; siquidem ulterius quaeri possit, cur subjecto non conveniat praedicatum, quod eidem repugnat? ad quod respondere cogentur Kantiani formula illa consveta sic: quia *impossibile est idem simul esse et non esse.*

b) Propositas hic supremas Leges cogitandi itidem Kantiani volunt esse solum *Principia logica*, utpote quae nullam cognitionem comprehendunt, nec sunt nisi formae logicae cogitationum *cf. Crit. rat. pur. pag.* 599. — Hoc quidem verum est, quod, sicut Logica circa nullum determinatum objectum versatur, sed universim leges cogitandi de quibusvis objectis pertractat, ideoque *scientia solius cogitandi formae* appellatur; ita etiam Principia haec non afficiant singulare aliquod, et determinatum objectum sed se extendant ad omnia objecta, cognoscibilia, sensibilia, et insensibilia, possibilia, et existentia; et hoc sensu, si placet, possint dici *Principia logica*, seu *formalia:* sed eo sensu, quasi nullam realem cognitionem comprehenderent, solumque in Logica usum haberent, principia *logica* dici nequeunt; evincemus enim suo loco, eadem etiam in Philosophia *materiali* locum habere, esseque haec totidem Principia omnis cognitionis, et quarumvis scientiarum in genere *cf. Bouterweckii Apodictik. Th. I. pag.* 100.

c) Iidem Kantiani quoad *Principium rationis sufficientis* in specie cavendum esse dicunt, ne hoc cum *Principio* sic dicto *Causalitatis* confundatur, quod jam est Principium *metaphysicum*, cum illud solum *logicum* sit; ubi tamen Principium Causalitatis non aliud est, quam Principii rationis sufficientis ad objecta realia applicatio; quod vel inde satis patet: quod ipsi etiam Kantiani *Causam* in genere dicant esse rationem, ex qua existentia cujusdam alterius intelligitur. *Cf. Bachmann's System der Logik.* §§. 15—30. *D. W. Esser System der Logik. Erster Theil.*

§. 8.

Praecipuae Operationes Intellectus.

Cum Intellectus, ceu Facultas cogitandi, triplici potissimum modo hanc suam *Functionem*, seu *Operationem* exserat; aut enim immediatas repraesentationes sensuum (quas *Intuitus* diximus §. 1. Introduct. in Philos.) inter se comparat, harumque notas communes una quadam communi repraesentatione comprehendit, seu *concipit*, unde *Conceptus* oriuntur; aut repraesentationem alteram per alteram determinat, seu *judicat*, unde *Judicia* proveniunt; aut demum veritatem, vel falsitatem judicii cujusdam ex uno, vel pluribus aliis elicit, seu *ratiocinatur*, unde nascuntur *Ratiocinia*: hinc tria nomina sortitur, quibus triplex illa ejusdem Operatio indicatur; nempe quatenus concipit, *Vis concipiendi*, quatenus judicat, *Vis judicandi*, denique quatenus ratiocinatur, *Ratio* audit. — Ex his tres resultant Logicae analyticae *Sectiones*, quarum I-ma *de Conceptibus*, II-da *de Judiciis*, III-tia *de Ratiociniis* agit.

SECTIO PRIMA.

de

C o n c e p t i b u s.

CAPUT I.

Notio, Constitutiva, et Genesis Conceptuum.

§. 9.

Notio Conceptuum.

Conceptus est illa functio Intellectus, per quam varia, quae objecto cuipiam insunt, una repraesentatione comprehendimus, seu qua objecti cujusdam notas simul nobis repraesentamus: sic e. g. Notas animalitatis, et rationalitatis, Petro, Paulo, aliisque individuis humanis communes, sub una hac repraesentatione„Homo"comprehendens, Conceptum hominis efformavi; ita etiam repraesentationes istae: *Urbs*, *Pagus*, *Castrum*, *Hortus*, *Canis*, *Avis* etc. Conceptus sunt; hinc bene dicitur generatim *Conceptus* etiam repraesentatio universalis, quae plures alias repraesentationes sub se continet, vel juxta aliquos, conjunctio Variorum in unitatem Conscientiae.

Nota 1. Cum *repraesentare* (§. 1.) idem sit, ac objec um quodpiam menti sistere, vel mente contemplari, et quasi effigiem quamdam ejusdem in Anima effingere, et hoc etiam *concipiendo* fiat; hinc *Conceptus* omnis est quidem *Repraesentatio*, sed vice versa non omnis Repraesentatio est Conceptus, partim ideo, quia per conceptum semper varia solemus unire in Conscientia, partim ideo, quia per ipsum aliquid intelligimus; e. g. qui rei alicujus, pono *lucis*, Conceptum habet, is intelligit, cognoscit ipsam et ab aliis distinguere scit: sed qui tantum Repraesentationem habet *lucis*, vel qui ipsam tantum intuetur, hoc ipso non concipit, quid sit.

2.) Est quidem possibilis etiam talis Conceptus, qui circa unicum Individuum versatur, sed hujus etiam notae semper ad plura objecta sunt applicabiles. *Vide meam Metaphysicam applicatam p.* 285. *corol.* 1821. *Pest.*

3.) Inter *Intuitus* vero et *Conceptus* haec est distinctio, quod Intuitus sint immediatae repraesentationes, Conceptus mediatae; quod hi per Intellectum, illi per sensus efformentur; quod illi unum, hi plura in vel sub se comprehendant, adeoque, quod Intuitus tantum ad Individua possint applicari, Conceptus autem ad plura etiam genera et species Individuorum quadrent, sicque semper universales Repraesentationes sint.

§. 10.

Constitutiva Conceptuum.

Cum Conceptus quivis e repraesentationibus efformatus, et ipse sit repraesentatio, in omni repraesentatione vero *Materia* et *Forma* distingvenda sint, (§. I. Introd. in Philos.) hinc etiam Conceptus constitutiva *Materia* et *Forma* sunt;

Materiam Conceptus efficiunt variae illae repraesentationes minores, quas conceptus sub se continet, id est ad quas ceu nota referri potest: *Formam* vero ipsa harum repraesentationum ad unitatem connexio constituit. e. g. Materia hujus conceptus „Urbs“ sunt„ Agria, Pestinum, Buda etc. harum vero particularum repraesentationum ad unam hanc repraesentationem „Urbs“ connexio, forma ejusdem est.

§. 11.

Genesis Conceptuum.

Genesis seu Origo Conceptuum spectari potest vel *ratione Formae*, vel *ratione Materiae*; *ratione Materiae*, quatenus quaeritur unde repraesentationes illae, e quibus Conceptus consurgunt, oriantur? an sint nobis *innatae*, vel vero studio, et experientia *adquisitae*? et sub hoc respectu solent dividere conceptus in *adventitios*, seu *datos*, et *factitios*, in *empiricos*, et *intellectuales*, prout eorum Materia vel ex experientia sensuum, vel ex Intellectu datur: ast quia in Logica ab omni materia Cogitationis abstrahitur, solaque forma consideratur, genesim hanc *materialem* Conceptuum Metaphysicae relinquimus. —*Ratione* vero *Formae* spectatur genesis Conceptuum, quatenus quaeritur: quomodo Intellectus e repraesentationibus jam habitis Conceptus efformet? et de hac solum genesi Conceptuum est nobis hic sermo.

Format vero Intellectus e repraesentationibus datis Conceptus sequenti modo: comparat

videlicet plures repraesentationes inter se, retinet unam vel plures earum notas communes in Conscientia, et separat a notis his communibus omnia illa, in quibus repraesentationes datae non conveniunt; tandem notas communes retentas conjungit in unitatem Conscientiae, et sic producit illam repraesentationem, quae *Conceptus* dicitur. — Porro e Conceptibus jam formatis novos iterum Conceptus potest generare Intellectus, nempe Conceptus jam paratos inter se comparando, et attendendo in quibus notis conveniant, vel non conveniant, retinendoque in Conscientia illas notas, quas communes habent, et abstrahendo ab iis, per quas a se invicem discrepant, denique conjugendo notas communes in unitatem conscientiae, efformat *Conceptus Conceptuum*, seu sic dictas *Notiones*, et realisat suas *Ideas*. Sic. e. g. repraesentationes Animalis, Plantae, Lapidis sunt Conceptus, quatenus e pluribus repraesentationibus sensualibus, intuivis, et immediatis illas mihi efformavi, et si conceptus hos iterum secundum id, quod commune habent, inter se conjungam, in universalioremque repraesentationem subsumam, Conceptum Naturae obtineo, qui jam est Conceptus Conceptuum, seu Notio, vel juxta aliquos Idea.

Quare ad formandos Conceptus isti quatuor actus Intellectus requiruntur: a) *Comparatio* plurium repraesentationum singularium inter se, b) *Reflexio* ad notas repraesentationum communes, seu attentio ad ea, in quibus conveniunt, c) *Abstractio*, seu separatio, et omissio notarum, quibus repraesentationes a se differunt, tandem d) *Determinatio*, vel *Combinatio*, seu conjunctio notarum, in quibus repraesentationes conveniunt, in unitatem Conscientiae; ideo omnis Conceptus est *Repraesentatio* quaedam *abstracta*.

— Ab his quatuor actibus Intellectus quantum recta formatio conceptuum dependeat? accomodis exemplis illustrabimus coram; interea *cf. Fejér György Közhasznú. Log. pag.* 34—47.

Nota. 1) Doctrinam de *Ideis* in Philosophiam primus Plato intulit, Scholastici perverterunt, Kant resuscitavit; quali cum successu? videbimus in Metaphysica. *V. Cic. Ac. QQ. I.* 8. *Orat. c.* 3. *i. Bachmann's Logik S.* 283. —

Nota. 2.) Tametsi omnis Conceptus sic formatus *abstracta* quaepiam *Repraesentatio* sit, non est tamen, ut multis videtur, vacua abstractio, et aliquid ideale solum; eo ipso enim quod per abstractionem oriatur, illud, quod per ipsum cogitatur, objectivam realitatem debet habere, secus abstractione non fuisset opus, sed sola arbitraria ipsius formatione aut fictione; omnia inferiora Conceptus objectivam habent realitatem, sed in ista ad individuales sunt adstricta formas, et cum sensualibus concreta, ideo Individua seorsim sumta ceu partiales solum imagines Conceptuum comparent, et per Conceptus non annihilantur, verum in Conscientiam assumta uniuntur, et per essentiales notas determinantur. Aliud est, si Conceptus aliquis non realibus Intuitibus aut his superstructis minoribus Conceptibus, sed figmentis et phantasmatibus meris, uti sunt e. g. *mythologici* et *poëtici*, debeant suam originem; sic jam et ipsi merae fictiones sunt, et non aliud quam figmenta sistunt Conscientiae. Quoad conceptus sic dictos *mathematicos*, qui etsi etiam, sicut *empirici*, prima sua cruda materialia numeris et figuris sensibilibus debent, ab his tamen penitus abstractis *puris Intuitibus* superstruuntur, ita etiam quoad Conceptus *philosophicos* et *technicos* s. artium, qualis modificatio intuitu hic dictorum interveniat, non Logi-

cae, sed Metaphysicae est determinare. *V. Bachmann's System der Logik* §. 43. et 46.

3,) Cum Conceptus empirici ex Intuitibus sensuum efformentur, a) non alias notas continent in se, quam quae in Intuitibus communes deprehenduntur; b) in Intuitibus plures notae sunt, quam in Conceptibus; c) quia per Conceptus intelligere, i. e. hoc scire volumus quid objecta sint, et per quid sint hoc, quod sunt, et non aliud, notae Conceptuum ab Intuitibus abstractae necessariae et essentiales debent esse, residuae vero in Intuitibus contingentes, et extraessentiales; d) Conceptus si ad Intuitus referantur, clarificantur, et *schematisantur* eo fine, ut plura objecta sub eodem Conceptu comprehensa per adjectas ex Intuitibus contingentes notas ab invicem distinguantur.

CAPUT II.

de

Divisione Conceptuum.

Cum conceptus in Logica dupliciter tantum possint spectari, nempe vel quatenus ad semet ipsos invicem, vel quatenus ad Intellectum, quo efformantur, referuntur; duplex quoque eosdem dividendi *Titulus* locum habet: alter *ratione Relationis mutuae*, alter *ratione Relationis ad intellectum*.

Nota. a) Aliqui *Ideas* sumendo generatim pro quibusvis repraesentationibus, dividere solebant ratione *Materiae* et *Formae*, immemores, in Logica ab omni ma-

teria cogitationis abstrahendum, et solum formam recte cogitandi pertractandam esse.

b) Recentiores vero Philosophi, praecipue Kantiani, Conceptus, uti Judicia, secundum quatuor momenta cogitandi, seu sic dictarum *duodecim Categoriarum* titulos, nempe, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, et *modalitatem* expendunt; at 1) cum Conceptus ratione *quantitatis extensivae* (utpote etiam ex ipsorum sententia omnes *universales*) dividi nequeant in *universales*, *particulares*, et *singulares*; sed eatenus tantum illi inter se differant, quatenus vel majorem, vel minorem quantitatem extensivam habent, haec vero sine comparatione seu relatione mutua Conceptuum non intelligatur: 2) aliae autem differentiae Conceptuum ratione *quantitatis intensivae*, *qualitatis*, *et modalitatis*, ex eorundem ad ipsum intellectum *relatione* commode deduci queant, ideo hanc nostram conceptus dividendi rationem magis simplicem, et incipientium intellectui magis perviam judicavimus.

§. 12.

Divisio Conceptuum ad se invicem relatorum.

Conceptus si *ad se invicem referantur*, id est, si inter se comparentur, possunt spectari quoad suam *Quantitatem extensivam*, et *intensivam*; est vero *Quantitas extensiva*, *Extensio*, vel *Sphaera* conceptuum, complexus repraesentationum, quas Conceptus *sub se* continent, id est, ad

quas ceu notae referri possunt, e. g. Conc. Philosophus, continet sub se repraesentationes „Socrates, Plato, Aristoteles etc.“ Nam in his omnibus tamquam nota continetur, et ideo dictae repraesentationes ejusdem sphaeram constituunt: *Quantitas* vero *intensiva*, *Intensio*, vel *Comprehensio* Conceptuum, est complexus illarum repraesentationum, quas Conceptus *in se* continent tamquam notas; e. g. Conceptus „Homo“ intensionem efficiunt hae duae repraesentationes „animal, et ratio“, quae in ipso ut notae continentur, homo enim est animal rationale.

I.) Divisio Conceptuum ratione Extensionis.

Conceptus *ratione Extensionis* alii sunt *superiores*, alii *inferiores*, alii *alios adaequantes*, alii *subordinati*, *et coordinati*.

a) C. *superior*, *alias extensive major*, vel *latior* est, qui plures repraesentationes sub se continet, quam alter; hic vero relate ad illum C. *inferior*, *extensive minor*, vel *angustior*, dicitur; e. g. C. Animal superior est C. Homo, utpote pluribus ille repraesentationibus conveniens, quam iste; qui ideo relate ad illum inferior est. — C. superior altero, singulari nomine *Genus*, contentus vero sub illo inferior, *Species* dicitur; e. g. C. Animal est Genus, C. vero Avis est Species.— Species porro si sub se habeant CC. universales, respectu horum evadunt Genera, e. g. C. Avis relate ad C. Animal Species, relate ad Accipitrem Genus esse potest, et sic porro. — Genus solet dividi in *supremum*, *remotum*, *et proximum*:

proximum nempe est, quo inferius, *supremum*, quo jam superius non datur, quae vero inter haec intercedunt, vocantur genera *remota* vel *subalterna* E. g. relate ad C. Homo, genus proximum est animal, supremum Ens; remota vero sunt substantia, vivens, etc.

b) CC. *adaequantes*, sunt, qui eandem extensionem habent, e. g. CC. Homo, et Animal rationale.

c) CC. *subordinati* sunt, quorum alter sub alterius sphaera continetur, e. g. CC. Frumentum, et Triticum; CC. vero coordinati sunt, qui simul sumti extensionem, vel intensionem alicujus Conceptus determinant, e. g. Aristocratia, Democratia, Monarchia etc. sunt CC. coordinati respectu hujus „C. Forma regiminis“.

Nota. Ex his intelliguntur sequentia: 1.) omnis Conceptus ratione extensionis est *universalis;* convenit enim omnibus repraesentationibus, quas ut inferiores sub se continet tamquam nota, non subsistit proinde *divisio Conceptuum in universales, particulares, et singulares; particularis* namque Conceptus foret ille, qui ad aliquas tantum, *singularis* vero qui ad unicam nonnisi extensionis suae repraesentationem referretur, quod tamen, ut e dictis patet, non obtinet. 2.) C. *superior* semper continetur *in inferiori,* et plures notae in *Specie*, quam in *Genere* reperiuntur. 3.) Ad C. superiores *abstractione*, ad inferiores vero *combinatione* pervenitur. 4.) Quod Generi convenit, convenit etiam speciei, et quod Generi contradicit, speciei convenire non potest: ast quod Generi non convenit, speciei convenire potest, et quod speciei convenit, Generi potest non convenire.

2.) Divisio Conceptuum ratione Intensionis.

Conceptus *ratione Intensionis* dividuntur in *intensive majores*, et *minores*, in *identicos*, et *diversos*, in *amicos*, et *inimicos*, denique in *affirmativos*, et *negativos*.

a) *C. Intensive major* est, qui plures notas in se continet, quam alter, qui ideo relate ad illum *C. intensive minor* audit; e. g. Quia C. Homo, plures notas in se continet, quam C. Animal, ille intensive major, iste vero intensive minor est. — Si intensio Conceptus ita parva sit, ut jam minor esse nequeat, seu, si unicam tantum notam in se habeat, dicitur *simplex*, quales sunt e. g. Sapor, Odor, Color, Esse, Agere, etc. secus vero est compositus.

b) CC. *Identici* sunt, qui easdem notas habent, secus sunt *diversi;* e. g. Scientia legum cogitandi, et Logica, sunt CC. identici; Logica, et Metaphysica, CC. diversi. — CC. Identici sunt vel *ex toto*, vel *ex parte* identici, prout in omnibus, vel aliquibus tantum notis conveniunt. e. g. „Triangulum et Figura trilateralis „ex toto „Homo, et Avis" ex parte identici conceptus sunt; hinc illi etiam *reciproci*, vel *aequivalentes*, isti vero *similes* appellantur. —Interim haec *Identitas* Conceptuum, quod etiam ad eorunden *Extensionem* applicari possit, per se patet.

c) CC. *amici* sunt, qui in unam Conscientiam conjungi possunt: unde etiam *consentientes* dicuntur; qui vero simul cogitari nequeunt, *inimici dissentientes*, vel *oppositi* vocantur; e. g. Scientia, Virtus, Pulchritudo; sunt CC. amici, in uno

enim eodemque homine cogitari possunt; e contra Pulchritudo, Turpitudo, Scientia, Ignorantia sunt CC. inimici. CC. oppositi vel sunt *contradictorii*, vel *contrarii;* illi sunt, quorum uno posito, alter penitus tollitur, et vice versa, e. g. CC. Lux, et Tenebrae, Rubrum, non Rubrum etc. hi vero sunt, quorum uno posito, alter quidem tollitur, sed non vice versa; tales CC. sunt: Rubri, Viridis, Flavi etc.

d) C. *affirmativus* est, quo aliquid ponitur, unde etiam *Positio*, vel *Realitas logica* dicitur, e. g. Eruditio; C. vero negativus est, quo quidpiam positivi tollitur, unde etiam *Negatio* audit, e. g. C. Ignorantia.

Nota. a) *Crescente Extensione alicujus Conceptus decrescit ejusdem Intensio, et vice versa*, seu quo pluribus repraesentationibus convenit Conceptus ut nota, eo pauciores repraesentationes in se continet ceu notas. et vicissim; sic e. g. *Quia C. Homo majoris est extensionis, quam C. Homo doctus, ille enim omnes omnino homines, hic vero tantum aliquos sub se continet; ideo C. Homo pauciores habet in se notas, nempe animalitatem, et rationalitatem, nam hae tantum omnibus hominibus conveniunt; C. vero „Homo doctus,“ praeter illas duas, etiam eruditionem, ut notam in se habet, adeoque hujus major est Intensio, quam illius.*

b) Cum quivis Conceptus e variis in unitatem conscientiae conjunctis exsurgat; hinc nullus est, si *C. Existentiae* demas, in se vel etiam cum aliis comparatus stricte *simplex*, sed tantum relate ad intellectum nostrum, qui certis limitibus concluditur. *Vid. Bachmann's Logik* §. 66.

c) *CC. aequivalentes* cum sibi mutuo substitui possint, neque alias, nisi, vel quatenus a diversis Subjectis, vel quatenus diversis temporibus cogitantur, a se discerni queant; *Principium Indiscernibilium* a Leibnitio productum, hoc sensu, seu *logice* verum non est: utrum etiam *metaphysice*, seu prout ad objecta realia applicatur, tale sit? in Metaphysica dicetur.

d) *CC. contradictorii* cum semper duo tantum possint esse; si alter ipsorum objecto cuidam logico attribui debeat, alter vi *p. exclusi medii* eidem necessario abnegari debebit: *C.* vero *contrarii* cum etiam plures esse possint, uno ipsorum objecto cuidam denegato, necesse non est, alterum hoc ipso eidem attribuere.

e) *Logice* omnes *Realitates* consentiunt inter se, id est simul cogitari possunt; soli namque Conceptus contradictorii nequeunt simul cogitari: ast utrum reipsa in aliquo objecto omnes compossibiles sint, necne? Metaphysica determinabit.

§. 18.

Divisio Conceptuum ad Intellectum relatorum.

Conceptus spectato *gradu*, *et modo Conscientiae*, quo eos nobis repraesentamus, dividuntur in *claros*, et *obscuros*, in *distinctos*, et *non-distinctos*, in *completos*, et *incompletos*.

a) *CC. clari* sunt, quorum objecta ab aliis cum conscientia discernuntur; secus, si discerni ne-

nequeant, sunt obscuri. e. g. si aurum ab aliis metallis discernere possim, habeo ejus conceptum clarum, secus autem obscurum.

b) *CC. distincti*, alias *perspicui* sunt, quorum non tantum sphaerae et complexus, sed etiam singulae partes discernuntur, secus sunt *nondistincti*, ut adeo *perpsicuitas* sit altior gradus *claritatis*, et tàm *extensionem* quam *intensionem* conceptuum afficere possit. E. g. Organismi humani C. distinctum habeo, si de singulis organis, oculis, auribus etc. clarum conceptum habeam, aut singuli organi structuram, functiones etc. sciam.

c) CC. completi sunt, quibus non tantum partes extensionis aut intensionis conceptus, sed et partium omnes et singulas partes determinate distinguimus; e. g. si in oculo humores, tunicas, lentes etc. ab invicem distinguam; unde etiam *pleni*, *perfecti*, *determinati*, vel *praecisi* audiunt: secus vero sunt *incompleti*, *deficientes*, vel *abundantes*.

Nota. a) Divisio conceptuum in *possibiles* et *actuales*, et actualium in *contingentes* et *necessarios* (*V. prior. edit. m. Log.*) mihi amplius non placet; quia quod necdum cogitatur, sed cogitari tantum posset, conceptus non est, et absque aliqua necessitante ratione nullus conceptus potest in conscientiam venire: quod autem tantum derivativus ex alio conceptus e. g. *effectus*, sit *necessarius*, plane arbitrarium est asserere, et absque *modalitate*, intuitu cujus hanc divisionem instituit Kant, nullus conceptus est vel cogitabilis.

b) *Claritas*, *Obscuritas* et *Perspicuitas* conceptuum admittit *gradus*, seu jam major, jam minor esse potest: eo nempe major est *Claritas* Conceptuum, quo a pluribus aliis possunt discerni, et vice versa· ubi vero

conceptus quispiam vix, ac ne vix quidem discernitur ab aliis, ibi adest *Obscuritas*, quae tamen *plena* nunquam potest esse; cum ad quemvis Conceptum semper aliqua conscientia requiratur: ita etiam *Perspicuitas* eo major, vel minor est, quo plures, vel pauciores notae conceptuum distinguuntur, et ibi demum adest maxima perspicuitas, ubi omnes, et solae, conceptus alicujus notae enumerantur, seu dum conceptus est *praecisus*, adeoque Ideale absolute identicum est cum Reali, quod intellectui humano rarissime obvenit. *V. Bachmann's Logik. S.* 100.

c) Claritas Conceptuum in genere solet appellari *analytica*, vel *synthetica*, prout vel *Analysi*, vel *Synthesi* obtinetur; est vero *Analysis* ille actus Intellectus, quo conceptus in suas notas resolvitur: *Synthesis* vero, quo repraesentationes, quas conceptus sub se continet, componuntur. Analysis Synthesim semper praesupponit, atque *abstractione*, *Synthesis* vero *combinatione* absolvitur.

d) Multi *respectu claritatis analyticae* dividere solent Conceptus in *abstractos*, et *concretos*, prout nempe notae objectorum vel seorsim, id est ita spectantur, ut de aliis non cogitetur, vel una cum objectis a quibus abstrahuntur, repraesentantur. — Sed perperam; omnes enim conceptus *abstractos* esse, Genesis eorundem satis ostendit: ut adeo discrimen illud *usum* tantum Conceptuum afficiat, prout videlicet Conceptus vel in *abstracto*, vel in *concreto* spectari possunt. — In *abstracto* spectatur Conceptus, dum in illius usu *praescinditur* ab omni eo, ad quod Conceptus referri posset; secus vero in *concreto* adhibetur.

e) Usus Conceptuum tam *abstractus*, quam *concretus* ejusdem pretii est, dummodo quivis suo loco adhibeatur; nempe ubi paucis multa cognoscere volumus, ibi usus conceptuum *concretus* habet locum; nam ducit

ad individua, et res singulares ob oculos sistit: ubi vero. individua non attendendo, scire volumus, quales notas plura individua communes habeant? ibi usus Conceptuum *abstractus* adhibendus est, e. g. *in classificatione individuorum.*

f) Media Conceptibus nostris claritatem et perspicuitatem conciliantia sunt: 1.) iterata acuta reflexio ad casus in applicatione conceptuum obvenientes, 2.) frequens exercitium et tentamen applicationis hujus; 3.) comparatio proprii cogitati cum cogitatis aliorum hominum, 4.) quieta et longius repetita consideratio objecti, 5.) dexteritas perceptionem in memoriam recipiendi, 6) repetitio intuitus et comparatio ejusdem cum imaginatione, et comparationis hujus continuatio, quoad in imaginatione intuitus nihil emendandi habuerit. E. g. qui pueris, aut incipientibus et incultis conceptum alicujus rei externe perceptibilis ingenerare vult, exhibeat primo illam ipsis, subducat dein eorum intuitui, ostendat illis alias res similes, et jubeat has ad invicem comparare, sic acuet illorum attentionem, et conceptum clarum reddet: quod si vero talium objectorum sint ingenerandi conceptus, qui sub intuitus non cadunt, e. g. veritatis, honestatis etc. proponantur singularia quaedam falsa judicia ipsis, jubeantur haec emendare; sic pedetentim et quasi per se ad veros conceptus devenient.

CAPUT III.

de

Signis Conceptuum.

§. 14.

Notio, et Divisio Signorum.

Signum in genere est objectum sensibile, aut a natura, aut ex arbitrio hominum ad hoc destinatum, ut praeter sui, etiam alterius rei repraesentationem in nobis excitet; estque duplex *naturale*, et *arbitrarium*; illud est, quod naturalem habet connexionem cum rebus significatis: istud vero, quod solum ex arbitrio hominum est determinatum ad rem quampiam significandam; e. g. motus arteriarum est signum naturale vitae, hedera signum arbitrarium vini venalis.

Ad signa arbitraria pertinent etiam *Termini*, *Voces*, *Vocabula*.— Sunt autem *Termini* illi soni articulati, quibus conceptus nostros figere, et aliis exprimere solemus: hinc generatim tottuplices sunt termini, quottuplices sunt repraesentationes, et conceptus illis notati, et expressi.— In specie vero Terminus dici solet vel *proprius*, qui constanter unam eandemque repraesentationem significat, e. g. *Socrates*, *Plato*, etc; vel *univocus* qui sub una significatione plures repraesentatio

nes, vel conceptus exprimit, e. g. *ens*, *animal* etc. vel *aequivocus*, qui pluribus conceptibus significandis inservit, e. g. *Leo*, ad quem revocantur etiam termini sic dicti *methaphorici*; vel denique *technicus*, qui in scientiis, et artibus adhibetur ad notiones cum aliis communicandas, e. g. Forma, Materia, Substantia, etc.

§. 15.

Usus Terminorum, et hujus Leges.

Conceptus nostros vel inviti Terminis, seu Vocibus alligamus; hinc fit, quod saepe prius nobis occurrant Termini, quam ipsi Conceptus, ut adeo natura ipsa videatur ordinasse Terminos, ad cogitata nostra partim in memoria *figenda*, et pro arbitrio *revocanda*, partim aliis *significanda*, velut *Symbola Schemataque* aptissima, et necessaria. — Hinc

Usus Terminorum alter est *relate ad nos*, alter *relate ad alios*. Termini *relate ad nos* hunc usum praestant, quod soleant memoriam nostram adjuvare; licet enim nexus inter Terminum, et rem significandam sit arbitrarius, labente tamen tempore ita invalescit, ut in naturalem abire videatur: *relate ad alios* vero hunc usum praestant, quod ope ipsorum soleamus animi nostri sensa aliis significare; et hic usus iterum vel est *civilis*, vel *scientificus*, prout vel in communi conversatione, et quotidiano vitae commercio, vel in scientiis, et artibus Terminos ad cogitata nostra aliis communicanda adhibemus.

Generatim in usu quocunque Terminorum ista *Lex* obtinet: „utendum est terminis *significantibus*, non *inanibus*, *determinatis*, *propriis*, et *perspicuis*; *in specie* vero *relate ad nosmet ipsos* quoad usum Terminorum haec *regula* valet: „unus idemque conceptus uno eodemque Termino est figendus;" *relate ad alios* vero in *usu civili* haec *regula* est observanda: „talibus utamur Terminis, qui sufficiant ad animi nostri sensa aliis adaequate exprimenda."

Quod autem *usum scientificum* Terminorum concernit, sequentes regulae eundem dirigent: a) raro adhibeantur termini *tropici*, et *metaphorici*; hi enim Oratoribus et Poëtis proprii, delectant potius, quam docent, sicque animum a veritate avertendo, illius cognitionem impediunt; b) evitentur Termini *ambigui*, *aequivoci*, et *vagi*: quod si tamen propter exiguum numerum Terminorum relate ad res significandas, aequivocis utendum sit, prius determinetur, quisnam sensus Termino, alias aequivoco, in praesenti subjiciatur, ut sic inanes verborum litigationes (*Logomachiae*) praepediantur; c) adhibeantur Termini *significantes*, rejectis *inanibus*, quales apud antiquos Scholasticos copiosi inveniuntur; d) Termini sint *perspicui*, ne secus non intelligamur, ut multis recentioribus accidit; denique e) utendum non est Terminis *barbaris*; quia tamen nova inventa saepe novos Terminos requirunt, qui antiquitus non vigebant, Terminis sic dictis *technicis* (quorum adminiculo id, quod alias longo verborum circuitu deberet exprimi, breviter significatur), etsi prorsus novis, dummodo rite formatis, et genio lingvae adcommodatis, in scientiis uti semper licebit.

Nota: a) Complexus Terminorum efficit *Lingvam* seu *Loquelam* in *sensu strictissimo*; *sensu* enim *lato Lingua* est complexus signorum a natura ad exprimendas diversas sensationes destinatorum, et qua talis jam infantibus, imo ipsis etiam brutis competit, et ideo etiam *Lingva naturalis* dicitur: in *sensu* vero *stricto Lingva* est complexus signorum arbitrariorum, ad quaecunque animi nostri sensa distincte exprimenda assumtorum; talem Lingvam habent muti, et sic dicti *Pantomistae*, atque hoc sensu Lingva jam, utpote conscientiam praesupponens, *humana* dicitur. — Ambabus his illam primam praestare, vel inde colligere est: quod *Vocabula*, ceu Soni articulati, qui certis, et discretis temporis intervallis proferuntur, scopo et functionibus intellectus promte peragendis, et exprimendis aptiora sint, quam alia quaecunque signa, utpote haec usus facilitate, varietate, et utilitate superantia *Cf. Logicas Roesser C. III. Bachman's S.* 377. *Laaber p.* 76. — Et haec praerogativa, quam Lingvae strictissimo sensu acceptae tribuimus, *Sermoni* cuicunque in genere competit; *Sermo* enim est vocabulorum cum intellectu conjunctio, qui si literis Alphabeti, ut hodie jam fieri solet, notetur, *Scriptura* dicitur.

b) Sermonis cultura, quod cum cultura intellectus ita cohaereat, ut utriusque incrementa pari ferme passu currant, Graecorum, Romanorum, Gallorum, Germanorumque exempla clarissime docent, et Hungarum quoque, culturae suae nationalis studiosum, ad „fac simile" provocant! *V. D. Wilh. Esser S.* 162. — 165.

c) *Originem Lingvarum* alii *divinam*, alii *humanam* esse volunt; interim quia homo jam qua infans lingvam naturalem habet, ipsius non solum capacitas loquendi, sed capacitatem hanc etiam perficiendi stimulus a natura inditus est; et quoniam novorum articulatorum

sonorum ad significanda sua cogitata inventio cum ejus viribus naturalibus non pugnat, quin imo cultura intellectus humani cum cultura lingvarum semper eodem passu procedit; ex his, et aliis rationibus, rectius illi videntur sentire, qui gravissimae hujus inventionis gloriam hominibus ipsis deberi contendunt. *Vid. Sulzeri vermischte philosophische Schriften I, Th p.* 166. *Metz. Inst. Log. p.* 185. *Herder bekannte Preisschrift. Anton über Sprache in Rücksicht auf Geschichte der Menschheit. Humboldt's Reisen. C. V. Bonstetten's Schriften*

SECTIO SECUNDA
de
Judiciis.

CAPUT I.
de
Notione, et Constitutivis Judiciorum.

§. 16.

Notio Judiciorum.

Non tantum *Intuitus* et *Conceptus* solemus efformare, sed etiam determinare, quomodo illi relate ad invicem se habeant, et an conveniant, nec ne, decidere; dum hoc facimus, *judicare* dicimur; vis animae, qua hoc efficitur, *Vis judicandi*, hujus vero productum *Judicium* est; e. g. habeo intuitum Petri, et conceptum Eruditionis; si determinem, quomodo isti relate ad invicem se habeant, et cum hac determinata relatione mihi ipsos simul sic repraesentem: „Petrus est eruditus, vel Petrus non est eruditus" judico, Judicium formo. — Proinde

Judicium in genere est illa functio intellectus, qua duarum vel plurium repraesentationum

convenientiam, vel disconvenientiam (*relationem objectivam ad unitatem conscientiae*) inter se determinamus; quae determinatio si verbis exprimatur, *Propositio*, vel *Enunciatio* vocatur: hinc quaecunque de Judiciis dicentur, ea et de Propositionibus valere, suapte intelligitur.

Nota: a) Etsi jam in formandis Conceptibus Judicium quoddam interveniat, et sicut in Conceptibus, ita etiam in Judiciis varia in unitatem Conscientiae junguntur; in eo tamen distinguuntur Judicia a Conceptibus, quod in illis variorum, seu repraesentationum diversarum convenientia, vel disconvenientia, in Conscientiam determinate assumatur; non vero in Conceptibus, qua Conceptibus; hinc est, quod Conceptus nostros *perspicuos* reddere non valeamus sine Judiciis, et omne Judicium ita possit considerari, tamquam explicatio s. evolutio conceptus, qua varia, quae per conceptum unita sunt, distincte cogitantur.

b) Illi, qui Judicium dicunt esse *repraesentationem relationis inter duos Conceptus*, 1-o *anguste* loquuntur; quia tantum Conceptus, et quidem duos occurrere in Judicio statuunt, ubi tamen etiam Intuitus, et Conceptus plures saepius in Judiciis deprehenduntur; e. g. in *hoc Judicio*: „*Petrus est pius, et eruditus*,“ *adsunt CC. Eruditio, et Pietas, cum intuitu Petri; in isto vero Judicio*: „*Homo est animal rationale*,“ *CCC. homo, animal, rationale, occurrunt.* 2-o Etiam *indeterminate* loquuntur; non enim edicunt, qualis relatio repraesentationum adesse debeat in Judicio?

§. 17.

Constitutiva Judiciorum.

Quia Judicium in genere sumtum est species cogitationis, omnis vero cogitatio *Materiam* et *Formam* habet; etiam Judicium quodvis his tanquam totidem partibus constet, necesse est. *Materia Judicii* sunt repraesentationes illae, quarum convenientia vel nonconvenientia, seu relatio objectiva determinate repraesentatur in conscientia; ipsa vero hujus relationis determinatio *formam judicii* efficit. E. g. in hoc Judicio „Philosophia est utilis," materia sunt duo hi CC. „Philosophia, utilis" horum vero convenientiae determinatio forma est.

Porro e repraesentationibus in Judicio occurrentibus illa, cui una, vel plures aliae, ut notae convenire, vel non convenire determinantur, quaeve ipsum objectum, de quo cogitatur, menti sistit, *Subjectum*, illa vero, quae ut nota Subjecto tribuitur, *Praedicatum* dicitur; ut adeo in omni Judicio, si non plures, adminus duae repraesentationes adesse debeant; ipsa demum repraesentationum in judicio occurrentium connexio, *Copula Judicii* audit, et per verbum subst. *sum*, *es*, *est*, exprimi solet. e. g. In hoc Judicio „Virtus est colenda," Subjectum est virtus, Praedicatum colenda, copula horum connexio.

Cum vero *Propositio* sit Judicium verbis expressum, ipsa quoque habet *Materiam* et *Formam*, constatque *Subjecto*, *Praedicato*, et *Copula*; quae tamen partes non semper ponuntur explicite, sed jam una, jam alia reticetur, tales propositiones vocantur *logice imperfectae*, *crypticae*, vel *occultae*; oppositae talibus, in qui-

bus omnes illae partes expresse ponuntur, quaeve *logice perfectae* appellantur, e. g. „*Pluit*," „*ego vivo*," „*quidam homines ratione non utuntur*," *sunt propositiones crypticae*; *et logice sic possunt resolvi*: „*coelum est pluens*," „*ego sum vivens*," „*quidam homines non sunt ratione utentes*."

Nota. a) Saepe praeter subjecta et praedicata, alia quoque solent occurrere in Judiciis; ista *Affectiones Subjecti*, vel *Praedicati* appellantur. *E. g. in hoc Judicio*: „*Anima humana natura sua immortalis est appetens bonorum aeternorum*," *istud*: „*natura sua immortalis*," *est affectio Subjecti anima*; *hoc vero* „*bonorum aeternorum*," *est affectio Praedicati appetens.*

b) In propositionibus *vere logicis* verbum *sum*, *es*, *est*, non nisi in tempore praesenti potest agere copulam; copula enim illum assensum vel dissensum exprimit, quem mens de praesenti praestat convenientiae vel disconvenientiae repraesentationum in Judicio, hoc autem tantum per *tempus praesens* bene significatur. — Hinc

c) *Interrogationes*, *Praecepta*, *Desideria*, *Preces*, *etc. Propositiones logicae* stricte dici nequeunt, etsi grammatice, quatenus quidpiam exprimunt, propositiones sint.

CAPUT II.

de

Divisione Judiciorum.

Cum in Logica sola *Forma* Judiciorum pertractetur; duplex tantum datur titulus dividendi judicia; alter, prout judicia in se spectantur, alter, prout ad invicem comparantur; et ille *respectus absolutus*, seu *internus*, iste vero *relativus*, seu *externus* dicitur.

§. 18.

Divisio Judiciorum Respectu absoluto.

Judicium quodvis in *se spectatum* secundum quatuor momenta *Quantitatis*, *Qualitatis*, *Relationis*, et *Modalitatis*, potest dividi; hae enim quatuor quaestiones possunt formari praeprimis de quovis Judicio: a) quam magna est ejus extensio, cujus respectu cogitatur praedicatum? seu, de quot rebus cogitatur aliquid? et hoc efficit *Quantitatem*; b) quid cogitatur de subjecto? seu quale est Praedicatum? et hoc est *Qualitas*. c) Quomodo se habet Subjectum ad Praedicatum? et hoc est *Relatio*. d) Denique quomodo sibi uniuntur Subjectum et Praedicatum per vim cogitandi? et

hoc vocatur *Modalitas* Judicii; quamquam haec praecipuum sit momentum in dividendis Judiciis, omnisque alia divisio ipsam jam praesupponat.

I.) Divisio Judiciorum respectu Quantitatis.

Judicia *ratione Quantitatis* sunt vel *universalia*, vel *particularia*, vel *singularia* — *J. universale* est, in quo praedicatum subjecto tribuitur, vel denegatur secundum totam illius extensionem; e. g. „*Omnes homines sunt mortales*,“ *vel* „*nullus homo est perfecte probus*.“ *J. particulare* est, in quo praedicatum subjecto tribuitur, vel denegatur juxta aliquam tantum, eamque indeterminatam extensionis partem; e. g. „*aliqui studiosi sunt diligentes*,“ „*quidam studiosi non sunt diligentes*.“ *J. singulare* est, in quo praedicatum subjecto, quod tantum repraesentatio singularis est, tribuitur, vel denegatur; e. g. *Cicero est princeps eloquentiae*.“

Judicium *universale* subdividi solet in *complete*, *incomplete*, et *in sensu accommodo universale*. — *J. complete universale* est, in quo praedicatum omnibus et singulis inferioribus, ad extensionem subjecti pertinentibus, attribuitur, vel denegatur; e. g. „*Omnis virtus est honesta*.“ *J. incomplete universale* est, in quo praedicatum, non singulis inferioribus subjecti, sed horum tantum speciebus attribuitur, vel denegatur; e. g. *Omnia animalia erant in Arca Noë*;“ ideo illud *generale*, hoc *speciale* solet dici. *J. in sensu accomodo*, vel *morali universale* est, in quo praedicatum quidem singulis inferioribus subjecti tribuitur, vel denegatur, sed tamen cum unius alteriusve exceptione; e. g. „*Omnis mater amat suam prolem*.“

Nota. a) *J. singulare* ab *universali logice*, id est spectata *forma*, non differt; sicut enim in Judiciis universalibus, ita etiam in singularibus praedicatum de subjecto sine omni exceptione cogitatur: ast si *materia* spectetur, J. singulare se habet ad universale, ut unitas ad totalitatem; hinc est, quod multi hodie JJ. *ratione quantitatis* in *universalia* solum, et *particularia* dividant.

b) Commemorari hic solet etiam J. sic dictum *collectivum*, quod habet quidem formam *Universalitatis* verum praedicatum de subjecto tantum ad instar *collectionis* sumto enunciat, ita, ut, si subjectum in sua inferiora resolvatur, de his singillative illud non valeat, e. g. „*omnes anni partes sunt quatuor.*"

c) Quia in JJ. universalibus (si propositione exponantur), subjecto plerumque praeficiuntur ista: *omnis, quilibet, nullus, nemo*, etc. in particularibus *aliqui, quidam, nonnulli*, etc. in singularibus denique: *hic haec, hoc*, vel *nomina propria*, et his JJ. ratione quantitatis discernuntur; ideo ista appellantur *signa quantitatis Judiciorum.*— Hinc

d) Judicia ratione quantitatis possunt dici *designata*, vel *indesignata*, prout signis sibi propriis fuerint notata, vel non; *e. g.* „*Omne corpus est extensum,*" *est J. designatum, istud vero*: „*corpus est extensum,*" *indesignatum est.*

e) *J. indesignatum* aequivalet *J. universali designato*, si in ipso praedicatum fuerit nota *necessaria*; *e. g. Judicium hoc indesignatum*: „*corpus est extensum*," *aequivalet huic designato*: „*omne corpus est extensum.*" — Si vero praedicatum fuerit nota *contingens* subjecti, aequivalet *J. particulari designato*; *e. g. Judicium hoc indesignatum*: „*Corpus est lucidum*," *aequivalet huic particulari designato*: „*aliquod corpus est lucidum.*"

2.) Divisio Judiciorum respectu Qualitatis.

Judicia *ratione Qualitatis* dividuntur in *affirmativa*, et *negativa*. J. *affirmativum* est, in quo praedicatum subjecto convenire determinatur, seu in quo praedicatum ponit aliquid in subjecto, adeoque est nota *positiva subjecti*, e. g. „*sapiens est beatus*." J. *negativum* vero est, in quo praedicatum subjecto non convenire determinatur, seu in quo praedicatum denegat aliquid subjecto, adeoque est nota *negativa* subjecti, e. g. „*Mundus non est aeternus*.

Nota. a) Cum inter *affirmationem* et *negationem* medium non detur, Judicia *ratione qualitatis* ulterius dividi nequeunt; judicium enim *infinitum*, propterea sic dictum, quod subjectum ab uno objectorum genere excludat, et inter reliqua infinita ponat, quale est v. g. istud „*Anima est non materia*," jam objectorum rationem habet, et spectata *forma* affirmativum est, adeoque *logice*, non distinctum; idem tenendum est etiam de J. *limitante*, quo praedicatum de subjecto cum aliqua restrictione cogitatur, *e. g. Cajus quoad natalia nobilis est*, quae non distincta, sed ex *affirmativo* et *negativo* coalescens forma Judicii est. V. Bachmann's Logik S. 12.—

b) Negatio in Judicio, utpote repraesentationum connexione, ipsam *copulam* afficere nunquam potest; nam si copulam afficeret, idest hanc tolleret, repraesentationes separatae manerent, et sic judicium non oriretur; sed afficit vel praedicatum, vel subjectum, sicque enascitur *J. negativum*, vel *limitans*, alias *negativo-affirmativum*.

c)

c) Judiciorum ratione Quantitatis, et Qualitatis, sequentes *formae* enascuntur 1-o JJ. *universaliter affirmantia;* e. g. „*Scientiae sunt utiles.*“ 2-o *Particulariter affirmantia;* e. g. „*aliqui homines sunt docti.*“ 3-o *Universaliter negantia;* e. g. „*nullum vitium est honestum.*“ 4-o *Particulariter negantia;* e. g. „*aliquae arbores non sunt fructiferae;*“ quas quatuor formas Scholastici Litteris: A. E. I. O. solebant indicare, his versiculis usi: *Asserit A, negat E, sed universaliter ambo; Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.*

3) Divisio Judiciorum respectu Relationis.

Judicia *ratione relationis* sunt, vel *categorica*, vel *hypothetica*, vel *disjunctiva.* — J. *categoricum* a *Categoria*, *nota*, et *affectione* sic dictum, est illud, in quo praedicatum subjecto instar notae inhaeret absolute, id est absque omni adjectione; e. g. „Deus est omnipotens.“ J. *hypotheticum* est, in quo praedicatum subjecto cum aliqua adjectione tribuitur vel denegatur, hinc etiam *conditionale* vocatur; e. g. „Si fueris felix, multos numerabis amicos,“ adeoque J. hypotheticum ex duobus semper membris constat, quorum prius *Conditio*, *Ratio*, *Hypothesis*, aut *Antecedens;* posterius vero *Conditionatum*, *Rationatum*, aut *Consequens* appellatur. J. *disjunctivum* est, in quo praedicatum instar partium diversarum in toto, se se mutuo excludentium, tribuitur subjecto; e. g. „homo vel est probus, vel improbus“; partes illae praedicati *membra disjunctiva* dicuntur, ex quibus si nullum desit, J. erit *complete disjun-*

ctivum; e. g. „Anima humana vel perit cum corpore, vel post mortem corporis erit superstes:" si vero aliquod membrum defuerit, J. *incomplete disjunctivum* est; e. g. anima humana vel perit cum corpore, vel post fata corporis erit beata."

Tam J. categoricum, quam hypotheticum, et disjunctivum subdividitur in *simplex*, et *compositum*. — J. *Cat. simplex* est, in quo unicum adest praedicatum, et unicum subjectum; e. g. „Deus est justus; quod si vero plura adsint subjecta, aut praedicata, vel utraque simul, erit *compositum*; e. g. „Deus est justus, et bonus etc." J. *Hypoth. simplex* est, in quo unicum Conditionatum ab unica Conditione pendet; e. g. „si sol splendet dies est:" si vero plures adfuerint conditiones, vel conditionata, aut utraque simul, erit *compositum*; et quidem si plures conditiones, aut conditionata connectantur per particulas „*et*, *ac*, *nec*, *neque*," judicium erit *categorico-hypotheticum*; e. g. „si quis voluptatibus carnis indulget, ingenium, et corpus debilitat, et infelix est:" si vero connectantur per particulas, *vel*, *aut*, appellabitur Judicium *disjunctivo-hypotheticum*; e. g. „si Cajus diligens, aut devotus est, laudem meretur." J. *Disjunct. simplex* est, in quo una est disjunctio; e. g. „Princeps eloquentiae vel est Cicero, vel Hortensius:" quod si autem plura subjecta, aut praedicata particulis" *et*, *ac*, etc." connexa adsint, erit *compositum*; e. g. „homines, et bruta, vel sunt creata, vel non creata, homo vel est creatus, vel non creatus, et vel mortalis, vel non mortalis."

Propositiones, quibus Judicia composita enunciantur, pluralitatem subjectorum vel aperte exprimunt, vel occulte; in priori casu *explicite*,

in posteriori vero *implicite compositae* sunt, quae tamen resolvi possunt in illas propositiones, quas occulte in se continent, et ideo vocantur etiam *exponibiles*, dumque revera resolvuntur, *exponi* dicuntur. Tales propositiones sunt: *exclusiva*, *exceptiva*, *restrictiva*, *reduplicativa*, et *comparativa*. — *P. exclusiva* est, in qua praedicatum subjecto ita tribuitur, ut quaelibet alia subjecta, vel praedicata removeantur; e. g. „solus Deus est aeternus“ quae propositio sic potest exponi: „*Deus est aeternus*, *et id quod non est Deus*, *non est aeternum.*“ *P. exceptiva* est, in qua praedicatum ita tribuitur subjecto, ut ab una parte extensionis ejusdem eximatur; e. g. „omnes Hungari, demtis nobilibus, solvunt contributionem“ quae propositio sic resolvitur: „Hungari ignobiles solvunt contributionem, Hungari nobiles non solvunt contributionem.“ *P. restrictiva* est, in qua praedicatum de subjecto enunciatur cum quadam limitatione, adeoque *J. limitans* exprimit; e. g. „Petrus, dum pecunias habet, jucundus est.“ *P. reduplicativa* est, in qua subjectum repetitur; e. g. „Sacerdos, qua Sacerdos, non subjacet foro saeculari.“ Denique P. *comparativa* est, in qua duo quaepiam inter se conferuntur, et illis eadem proprietas tribuitur, vel in eodem, vel diverso gradu; e. g. „Filius prodigus est ut parens,“ „Virtus est pretiosior auro.“

Nota. a) In Judicio *categorico* inter praedicatum et subjectum talis datur relatio, qualis inter notam et objectum, cui illa inhaeret, adesse concipitur; ideo *relatio* haec vocatur *Inhaerentiae*. In judicio *hypothetico* ita dependet praedicatum a subjecto, sicut Conditionatum a Conditione, aut Rationatum a Ratione; hinc ista *relatio* dicitur *Dependentiae*. In judicio demum *dis-*

junctivo, cum praedicatum se habeat ad subjectum, ut partes sphaerae, seu totius ad ipsum totum, haec *relatio Communionis* appellatur.

b) Multi JJ. hypothetica, et disjunctiva omnia simpliciter *composita* esse dicunt; cum tamen in utrisque conjunctio praedicati cum subjecto unico intellectus actu perficiatur.

c) Particula *si*, est signum J. hypothetici; particulae vero, „*vel*, *aut*," signa J. disjunctivi sunt.

4) Divisio Judiciorum respectu Modalitatis.

Judicia *ratione Modalitatis* dividuntur in *problematica*, et *assertoria*. — J. *problematicum* est, in quo mens solam possibilitatem convenientiae, vel disconvenientiae praedicati cum subjecto determinat; e. g. „Cajus potest evadere eruditus"; *J. assertorium* est, in quo praedicatum subjecto re ipsa convenire, vel non convenire determinatur; e. g. „Anima humana est libera."

J. assertorium vel est *contingens*, vel *necessarium*. — J. *assert. contingens* est, in quo praedicatum ita tribuitur subjecto, ut potuerit eidem etiam denegari, et vice versa; e. g. „Cajus est eruditus." J. vero *necessarium*, alias *apodicticum* est, in quo praedicatum ita tribuitur subjecto, ut eidem denegari non possit, et vice versa; e. g. „Virtus est honesta."

Observandum.

a) *Signa Modalitatis Judiciorum* sunt 1-o pro J. *problematico*: *posse*, *non posse*; 2-o *pro assertorio* generatim: *esse*, *non esse*; 3-o pro *necessario* speciatim: *debere*, *non debere*.

b) Etsi omne Judicium, verbis expressum, sit *Propositio;* Kantiani tamen *problematicum* e numero Propositionum excludendum esse volunt, eo, quod per illud nihil *ponatur:* ubi tamen possibilitatem connexionis inter subjectum, et praedicatum, in J. quoque problematico revera poni, per se patet.

c) Nonnulli Judicia *ratione Modalitatis* solent adhuc dividere: in *analytica*, et *synthetica*, in *demonstrabilia*, et *indemonstrabilia*, in *theoretica*, et *practica*. — J. *analyticum* est, in quo notio praedicati continetur in notione subjecti; e. g. „*Circulus est rotundus;*" quod si vero notio praedicati non contineatur in notione subjecti, est J. *syntheticum;* e. g. „Anima humana est immortalis." J. *demonstrabile* est, cujus veritas probari debet; e. g. „Existit Deus:" si vero judicii veritas per se patet, est *indemonstrabile;* e. g. „Totum est majus sua parte." J. *theoreticum* est, in quo, quid sit, vel fiat, determinatur; e. g. „Scientiae sunt utiles:" J. vero *practicum* est, in quo determinatur, quid fieri debeat? e. g. „Scientiae sunt colendae." — Sed divisiones hae Judiciorum cum eorundem materiam, et originem potius, quam formam (de qua sola agit Logica), respiciant, ad alium locum pertinent.

d) Recensitae hucusque *Formae Judiciorum* sunt celebres illae *Categoriae Kantii*, quas hic, tamquam totidem *formas nativas intellectus*, *conceptus puros a priori*, *independentes ab experientia*, et *conditiones cognitionis* proponit, ita; ut quidquid sub has Categorias non cadit, id a nobis cognosci nequeat, sicque de *rebus in se*, et *objectis transcendentalibus*, utpote quae sub illas formas cogitandi nativas non veniunt, omnem cognitionem nostram esse problematicam. — Asserta haec quid in se veritatis, aut falsitatis habeant, docebimus in Metaphysica. — Interea *cf. Zallinger Dis-*

quis. Phil. Kantianae C. IX. Miotti über die Falschheit des Kantischen Systems p. 103. A' Bölcselkedés, 2. D. 3. §. Bachmann's Logik §. 77.

§. 19.

Divisio Judiciorum Respectu relativo.

Judicia *Respectu relativo*, id est si inter se comparentur, dividuntur: in *identica*, et *diversa*.

1. Identitas Judiciorum.

Judicia *identica* sunt talia duo Judicia, quae eandem formam, et materiam habent, solaque expressione a se differunt; hinc etiam *aequipollentia* v. *paria* dicuntur; e. g. „Demosthenes est optimus Orator," „Demosthenes omnes superat eloquentia."

A Judiciis identicis debent discerni Judicia *tautologica*, in quibus praedicatum, et subjectum est idem vocabulum, e. g. „homo est homo", „mensa est mensa"; unde Judicia tautologica, ut per se patet, sunt sine omni usu: ubi contra J. aequipollentia, tamquam totidem enunciationes *Principii Identitatis A=A*, suum usum habent.

2.) Diversitas Judiciorum.

Judicia *diversa* sunt, quae vel quoad materiam, vel quoad formam, vel quoad utramque

simul a se discrepant; et quidem si vel tantum quoad materiam, vel quoad materiam, et formam simul a se differant, vocantur *disparata;* e. g. „Virtus est amanda" Scientiae sunt colendae. — „Omnis virtus est honesta, nullum vitium est honestum;" si vero materiam quidem eandem, sed formam habeant diversam, erunt JJ. vel *subalterna*, vel *conversiva*, vel *opposita.*

a) De Judiciis Subalternis.

Judicia *subalterna* sunt duo talia Judicia, quae sola quantitate a se differunt; e. g. „Omnis homo est mortalis, aliquis homo est mortalis."— „nullus homo est perfecte probus, aliquis homo non est perfecte probus." —Ex judiciis his illud, quod est universale, *subalternans*, quod vero est particulare, *subalternatum*, ipsa demum eorundem relatio, *subalternatio* dicitur.

b) De Judiciis Conversivis.

Judicia *conversiva*, sunt duo judicia ita comparata, ut subjectum unius praedicatum alterius evadat, et vice versa, manente eadem qualitate; e. g. „Nullus homo est omniscius, nullus omniscius est homo." — Ex judiciis conversivis illud, quod in aliud convertitur, *conversum*, hoc vero, in quod illud convertitur, *convertens*, ipsa demum eorundem relatio, *conversio* dicitur; et quidem si quantitas JJ. conversivorum eadem maneat, *conversio simplex*; si autem quantitas mutetur, *conversio per accidens* appellatur. Prioris exemplum sit: „*Omnis homo est animal rationale, omne animal rationale est ho-*

mo;" posterioris vero: „*omnis homo est animal, aliquod animal est homo.*"

Nota. Aliqui praeter duas has Conversiones Judiciorum statuunt etiam tertiam per *Contrapositionem*, tamquam distinctum momentum dividendi judicia, dicunt nempe: JJ. *contraposita* esse duo judicia conversiva, in quibus etiam qualitas mutatur; e. g. „*Circulus est rotundus, id quod non est rotundum, non est circulus;* — vel „*omnis homo est animal, quod non est animal, non est homo.*"

a) De Judiciis Oppositis.

Judicia *opposita* sunt talia judicia, quorum uno posito alterum tollitur, adeoque quae in eodem actu conscientiae consistere nequeunt; e. g. „Virtus est amanda, virtus non est amanda;" suntque vel *contradictoria*, vel *contraria*, vel *subcontraria* — JJ. *contradictoria* sunt duo Judicia ita sibi opposita, ut uno posito alterum tollatur, et vicissim; adeoque quorum quodlibet tantum dicit praecise, quantum ad refellendum alterum requiritur; e. g. „Omnis homo est mortalis, aliquis homo non est mortalis." JJ. *Contraria* sunt talia judicia, quorum uno posito, tollitur quidem alterum; sed non vice versa; adeoque quorum quodlibet plus dicit, quam requiratur ad tollendum alterum; e. g. „Omnis homo amat proximum, omnis homo odit proximum." JJ. *subcontraria* sunt duo Judicia particularia sola qualitate sibi opposita; e. g. „aliqui homines sunt avari, aliqui iidem homines non sunt avari."

Nota. E Notione Judiciorum *oppositorum* facili negotio intelligi poterunt sequentia:

a) *Contradictorie* opponuntur sibi Judicia: 1-o Si sint ejusdem Subjecti, et Praedicati, sed diversae quantitatis, et qualitatis; e. g. „*Omne vitium est fugiendum; aliquod vitium non est fugiendum.*" 2-o Si adsint duo JJ. singularia sola qualitate sibi opposita; e. g. „*Kantius est Philosophus*, *Kantius non est Philosophus.*" 3-o Si adsint duo JJ. singularia ejusdem qualitatis quidem, sed de eodem subjecto praedicata contradictorie sibi opposita habeant; e. g. „*Sempronius est pius*, *Sempronius est impius.*" 4-o Si adsint duo JJ. categorico-composita (*copulativa*) sola qualitate inter se pugnantia; e. g. „*Cicero et est bonus Philosophus*, *et bonus Orator*," *Cicero nec est bonus Philosophus*, *nec bonus Orator.*" 5-o Si adsint duo JJ. quorum unum est disjunctivum, aliud copulativo-negativum; e. g. „*Optimus orator vel fuit Cicero*, *vel Hortensius*, *optimus orator nec fuit Cicero*, *nec Hortensius.*" Denique 6-o si adfuerint duo JJ. hypothetica ita comparata, ut in altero concessa conditione eadem, negetur conditionatum; e. g. „*Si Cajus didicerit literas*, *laudem meretur*, *Si Cajus didicerit literas*, *laudem non meretur.*"

b) *Contrarie* opponuntur sibi: 1-o JJ. universalia sola qualitate diversa; e. g. „*Omnis homo est mortalis*, *nullus homo est mortalis.*" 2-o Duo JJ. universalia ejusdem qualitatis, sed praedicata opposita habentia; e. g. „*Omnis mater amat suam prolem*, *omnis mater odit suam prolem.*" 3-o Duo vel plura Judicia singularia ejusdem qualitatis, sed quorum praedicata sunt conceptus contrarii; e. g. „ *Vas A continet tres urnas*" *Vas A continet sex urnas*, *vas A continet decem urnas etc.*"

c) Quod vero JJ. *subcontraria* concernit, haec ut vere sint *opposita;* praedicatum suum debent enunciare de eodem, vel iisdem determinatis subjectis, ut sic, qua Judicia singularia, aequivaleant contradictoriis (vide sub a) Nro 2-o et 3-o); secus enim, si subjectum non idem, aut eadem, sed diversa individua designet, JJ. subcontraria non *opposita*, sed tantum *disparata erunt;* e. g. *in his judiciis „aliqui homines sunt Philosophi, aliqui homines non sunt Philosophi," si per subjectum „aliqui homines" utrobique intelligantur Socrates, Aristoteles, judicia erunt vere opposita; si vero in altero judicio subjectum: aliqui homines, denotet Socratem, Platonem, Aristotelem, sed in altero v. g. Cajum, Simplicium etc. Judicia erunt tantum disparata.*

CAPUT III.

de

Legibus Judiciorum.

Praeter *Principia* illa, quae supra (§. VII.) ut totidem *supremas Leges recte cogitandi* proposuimus, dantur etiam *Leges speciales recte judicandi*: quia vero in genere, non habita ratione diversitatis objectorum, circa quae judicia versantur, tunc recte formatur Judicium, dum praedicatum subjecto ita convenit, prout mente cogitatur; hinc *Lex generalis* veritatem Judiciorum determinandi est ista: „*Judicium quodcunque verum est, si inter subjectum, et praedicatum ipsius illa connexio detur, quae mente concipitur.*" — Ex hac deinde lege, tamquam

principio, deducuntur aliae leges, quibus cujusvis speciei Judiciorum *veritas*, vel *falsitas* determinari potest.

Nota. Cum Logica solam *formam*, seu modum recte cogitandi doceat, sine omni discrimine objectorum, adeoque tantum hoc determinet, an cogitata nostra legibus cogitandi conformia sint: conformitas vero haec, seu consensus cogitationum cum legibus cogitandi, *Veritas formalis* vocetur, (id quod in Methodica uberius exponemus) per se patet: hic loci de sola *veritate*, *vel falsitate formali Judiciorum* sermonem esse; utrum enim cogitata nostra, adeoque etiam Judicia, *materialiter*, et *objective* quoque *vera*, vel *falsa* sint, id est; utrum etiam objectis, quae attingunt, consentiant, nec ne? hoc non ex Logica, sed aliunde cognoscendum est.

§. 20.

Leges speciales Judiciorum.

Lex. I. pro Judiciis Categoricis.

Judicium *categoricum* a) *universale affirmativum* verum est, si praedicatum de omnibus, et singulis inferioribus subjecti enunciari possit, secus est falsum; e. g. Judicium hoc „omnis homo est mortalis," *eatenus est verum, quatenus ex omnibus hominibus nec unus eximitur a lege mortalitatis; si enim vel unus exemtus foret, jam esset falsum.* b) J. cat. *universale negativum* verum est, si praedicatum de omnibus, et singulis inferioribus subjecti negari possit,

secus est falsum; e. g. hoc Judicium „nullus homo est perfecte probus,“ *eatenus est verum, quatenus ex tota hominum collectione nulli perfecta probitas tribui potest, et si vel uni posset tribui, jam esset falsum.* c) J. cat. *particulare affirmativum* verum est, si praedicatum uni, alterique ex inferioribus subjecti conveniat, secus est falsum; e. g. hoc J. „aliqui Hungari sunt boni Patriotae,“ *est verum, quatenus inter Hungaros multi Patriam suam vere amant, quod si tales non invenirentur, esset falsum.* — d) J. cat. *particulare negativum* verum est, si praedicatum aliquibus inferioribus subjecti non conveniat, secus erit falsum; e. g. hoc judicium „aliqui Hungari non sunt boni Patriotae“ *verum est, in quantum quipiam inveniuntur Patriae suae non amantes, qualia monstra si non darentur, esset falsum.* — e) J. cat. *singulare affirmativum* verum est, si praedicatum conveniat subjecto, et quidem eo modo, quo ipsi tribuitur, secus erit falsum; e. g. hoc Judicium „Cicero est bonus Orator“ *verum est, istud vero,* „Cicero est valde bonus Poëta,“ *est falsum.* — f) J. cat. *singulare negativum* verum est, si praedicatum subjecto non conveniat, secus erit falsum; e. g. hoc judicium „Cajus non est infirmus,“ *verum est, si Cajus re ipsa non sit infirmus, secus est falsum.*

Lex. II. pro Judiciis Hypotheticis.

Judicium *hypotheticum* verum est, si inter conditionem, et conditionatum adfuerit nexus necessarius, seu talis, ut posita aut sublata conditione, poni aut sufferri debeat conditionatum, et vicissim; si enim talis nexus non adfuerit, erit falsum; e. g. hoc judicium „si acre frigus fuerit,

gelabunt aquae," *est verum, quatenus acre frigus cum gelu aquarum necessario connectitur; e contra istud judicium* „si baculus fuerit in angulo, pluet," *est falsum; quia hic non intercedit nexus necessarius.*

Lex III. pro Judiciis Disjunctivis.

Judicium *disjunctivum* verum est a) si disjunctio fuerit *plena*, idest, si omnia membra disjunctiva sint enumerata. b) Si praedicatum uni e membris disjunctivis fuerit proprium, et quidem indeterminate, secus est falsum; e. g. hoc Judicium „homines vel sunt docti, vel indocti," *est verum; e contra istud* „homines vel sunt Philosophi, vel Poëtae," *est falsum; dantur enim, qui ad neutram horum classem pertinent.*

Lex IV. pro Judiciis Compositis.

Judicium *compositum* in genere verum est: a) si praedicatum omnibus partibus subjecti conveniat, vel non conveniat; b) si subjecto omnia praedicata connexa conveniant, vel non conveniant, secus erit falsum; e. g. vera sunt haec judicia „Cicero, et Hortensius erant boni Oratores, Cicero et fuit bonus Orator, et bonus Philosophus; Cicero nec fuit bonus miles, nec bonus Poëta:" *e contra falsa sunt haec* „Cicero et Ovidius erant boni Oratores; Cicero et fuit bonus Orator, et bonus Poëta; Cicero nec fuit bonus orator, nec bonus Philosophus."

Lex V. pro Judiciis Problematicis Contingentibus; et Necessariis.

Judicium *problematicum* verum est, si inter subjectum et praedicatum nulla sit contradictio, secus est falsum; e. g. hoc judicium „Petrus potest evadere eruditus," *est verum, quatenus inter Subjectum Petrus, et praedicatum eruditus, nulla est contradictio; istud vero* „Circulus potest esse quadratus;" *est falsum, quatenus praedicatum quadratus pugnat cum subjecto circulus.* — J. *contingens* verum est, si adsit ratio sufficiens, quare praedicatum subjecto tribuatur, vel eidem denegetur, secus est falsum; e. g. hoc judicium „Petrus est eruditus," *verum est, si Petrus boni sit ingenii, et applicationis, si vero haec ipsi desint, est falsum: ita etiam hoc Judicium* „Sempronius non est probus," *verum est, si is vitiis indulgeat, secus est falsum.* — J. *necessarium* verum est; si praedicatum tribuatur, vel denegetur subjecto, quod eidem adesse, vel abesse debet, secus est falsum; e. g. haec judicia „Circulus est rotundus, Anima non est composita," *sunt necessario vera: e contra ista* „Circulus non est rotundus, Anima est composita" *sunt necessario falsa.*

Lex VI. pro Judiciis Aequipollentibus.

Judicia *aequipollentia*, quia eandem sententiam diversis verbis exprimunt, simul vera sunt, vel falsa; e. g. Si verum est istud J. „Omnis homo est mortalis," *verum etiam est istud* „nullus homo vivet perpetuo."

Lex VII. pro Judiciis Subalternis.

Judiciorum *Subalternorum* veritas, vel falsitas ita se habet; a) Si J. *subalternans* verum est, verum etiam erit *subalternatum*; subalternatum enim continetur in subalternante, ut *species* in *genere*, jam vero quod generi convenit, hoc et speciei debet convenire; v. g. si verum est hoc Judicium „omnis homo est mortalis,“ *verum etiam erit istud* „aliquis homo est mortalis.“ b) Si falsum et *subalternans*, non sequitur etiam *subalternatum* falsum esse semper; potest enim in *materia contingente* aliqua nota non convenire generi, convenire vero speciei; e. g. etsi falsum sit hoc J. „omnes homines sunt justi,“ *non est tamen falsum etiam istud* „aliqui homines sunt justi.“ c) Si verum est J. *subalternatum*, non sequitur semper etiam *subalternans* verum esse debere; potest enim iterum in *materia contingente* quidpiam convenire speciei, quin conveniat generi: e. g. licet verum sit hoc J. „aliqui homines sunt docti,“ *non erit tamen verum istud* „omnes homines sunt docti.“ Ast d) si J. *subalternatum* fuerit falsum, falsum etiam erit J. *subalternans*; quod enim aliquibus non competit, multo minus competit omnibus; e. g. Si falsum est hoc J. „aliquis homo est omniscius,“ *longe a fortiori falsum est istud* „omnis homo est omniscius.“

Lex VIII. pro Judiciis Conversivis.

Judicia *conversiva* (ut e notione ipsorum patet §. XIX. sub b) vel simul vera, vel simul falsa sunt, si conversio *legitime* est facta. Conversio vero Judiciorum *legitima* est: a) si judicium aliquod sit universale, et affirmativum ita com-

paratum, ut subjectum et praedicatum sint *conceptus ex toto identici, converti* debebit *simpliciter:* sic e. g. „Omnis homo est animal rationale, omne animal rationale est homo ;“ cum enim in talibus judiciis subjectum et praedicatum sint *CC. identici*, eadem est utriusque *extensio*, adeoque etiam de se mutuo praedicari possunt, sic in exemplo allato, *si verum est „omnem hominem esse animal rationale, verum etiam erit, omne animal rationale esse hominem, et vice versa.*“ *b*) Si judicium universale negativum sit convertendum, iterum *simpliciter* debebit *converti*; nam in hujusmodi judiciis praedicatum negatur de tota extensione subjecti, adeoque cogitatur nullam partem extensionis subjecti contineri in extensione praedicati, et vice versa; hoc autem innuit judicia talia *simpliciter* esse *convertenda*, atque ita si unum ex ipsis verum, vel falsum fuerit, tale erit etiam alterum. e. g. Hoc judicium „nullus homo, est brutum,“ *sic convertitur* : nullum brutum est homo,“ *etsi illud verum est, etiam istud verum erit, ac vice versa.* c) Si judicium aliquod sit universale, et affirmativum quidem, sed subjectum et praedicatum sint *CC. diversi*, *conversio* debet fieri per *accidens*, id est, *J. conversum* debet esse particulare; in talibus enim judiciis praedicatum exprimit *conceptum latiorem*, quam sit subjectum, adeoque subjectum non potest explere totam extensionem praedicati; hinc praedicatum semper sumitur particulariter, et sic dum praedicatum in altero judicio evadit subjectum, istud debet esse *particulare*; e. g. in hoc J. „Omnis homo est animal,“ *quia praedicatum* „Animal“ *C. latior est, quam subjectum homo, eo ipso istud non potest explere totam extensionem illius, sed tantum partem ejusdem, et sic praedicatum* „Animal“ *hoc ipso*

par-

particulariter sumitur ita, ut judicium illud aequivaleat huic „omnis homo est aliquod animal,“ *quod ideo particulariter debet converti sic:* „aliquod animal est homo:“ *ac tandem ita, si verum est unum, verum etiam erit aliud, et vicissim.*

Lex IX pro Judiciis Contradictoriis.

Judicia *contradictoria* nec simul vera, nec simul falsa esse possunt. — Non possunt esse a) *simul vera:* assumamus enim haec contradictoria judicia: „*Omnis homo est mortalis, aliquis homo non est mortalis*;“ utrumque hoc si verum esset, unus idemque homo, v. g. Petrus, vi primi judicii affirmativi - universalis deberet esse *mortalis*; quia inter *omnes homines* et ipse comprehenditur, ac secus hoc judicium „*omnis homo est mortalis*,“ verum non esset; sed vi alterius judicii, particularis - negativi: *aliquis homo non est mortalis*“ idem *Petrus* esset una *immortalis*, secus enim judicium hoc, ut supponitur, verum non esset; et sic Petrus et esset mortalis et non esset, idest, notae repugnantes simul cogitari possent, quod *Principio Contradictionis* repugnat; quod vero de hic assumtis Judiciis contradictoriis valet, valet etiam de quibusvis aliis, utpote quae per ista repraesentari omnia possunt, Sed b) nec *simul falsa* esse possunt, ex eadem ratione; assumendo enim iterum priora JJ. „*omnis homo est mortalis, aliquis homo non est mortalis*,“ haec si simul falsa esse possent, tunc unus idemque homo v. g. Petrus, vi primi judicii universalis - affirmativi *non* esset *mortalis*, et una vi alterius judicii particularis - negativi *non* esset *non mortalis*; sicque posset evenire, ut e duobus praedicatis contradictoriis

subjecto neutrum conveniat, quod pugnat cum *Principio exclusi medii*; ergo duo assumta judicia contradictoria simul falsa esse nequeunt: id ipsum autem valet de quibusvis Judiciis contradictoriis; ut adeo si falsitas alterutrius e JJ. contradictoriis innotuerit, hoc ipso alterius veritas quoque palam fiat, et vicissim.

Lex X. pro Judiciis Contrariis.

Judicia *contraria* a) *simul vera* esse non possunt; assumamus enim haec contraria JJ: „*Omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus*," ista si simul vera esse possent, tunc unus idemque homo, e. g. Socrates, vi primi judicii esset *doctus*, una tamen vi alterius judicii *indoctus*, sicque fieri posset, ut notae contradictoriae uniantur, quod *Principio Contradictionis* repugnat, seu *impossibile* est; igitur duo JJ. contraria simul vera esse nequeunt, sed si unum verum est, aliud necessario falsum esse debet; quod enim de assumtis in exemplo judiciis valet, valet etiam de quibusvis aliis. Attamen b) possunt esse JJ. contraria *simul falsa*, si sint *contingentia*; potest enim fieri, ut *nota contingens* aliquibus inferioribus subjecti, qua praedicatum, conveniat, aliis vero non conveniat, quod ad falsitatem JJ. *universalium*, qualia sunt contraria, jam sufficit; e. g. haec JJ. „omnis homo est doctus, nullus homo est doctus," cum sint contingentia, simul falsa erunt, si vel unus homo, e. g. Socrates, fuerit doctus, et alter v. g. Simplicius, fuerit indoctus. Aliud est c) si JJ. contraria sint *necessaria*, qualia sunt v. g. haec: „*Omnis Circulus est rotundus*, *nullus Circulus est rotundus*;" in talibus enim Judiciis cum praedicatum sit *nota necessaria* subjecti, simul falsa esse nequeunt,

sed si unum falsum est, alterum necessario verum esse debet, ut per se patet.

Lex XI. pro Judiciis Subcontrariis.

Judicia *subcontraria* a) *vere opposita* nec simul vera, nec simul falsa esse possunt; cum enim ad hoc, ut JJ. subcontraria vere sibi opponantur, necesse sit, ut in ipsis subjectum unum, vel eadem determinata individua denotet, adeoque aequivaleant JJ. *singularibus*, quae *logice*, ut vidimus, a JJ. *contradictoriis* non distinguuntur; hinc sicut JJ. contradictoria, ita etiam duo talia JJ. Subcontraria nec simul vera, nec simul falsa esse possunt; e. g. haec duo JJ. „aliqui studiosi sunt diligentes, aliqui studiosi non sunt diligentes," in quantum subjectum „aliqui studiosi" utrobique eadem individua Petrum, Paulum, Joannem etc. denotat, nec simul vera, nec simul falsa esse possunt, sed si unum verum est, aliud necessario falsum esse debet, et vicissim; sicut de JJ. Contradictoriis diximus. Si vero b) JJ. subcontraria *vere sibi non opponantur*, id est si subjectum diversa in utroque individua significet, ut judicia *disparata*, simul vera, et falsa esse poterunt; e. g. si in priori exemplo, per subjectum „aliqui studiosi," in altero Judicio Petrus, Paulus, Joannes, in altero vero Cajus, Sempronius, Titius denotentur, ambo vera, vel falsa esse poterunt haec judicia „aliqui studiosi sunt diligentes, aliqui studiosi non sunt diligentes."

Nota. Quam infauste tentaverint quidam, post *Lambert*, *Euler et Maas*, Judicia ad formas legesque mathematicas exigere, ipsa harum formarum natura ad quanta solum designanda idonea abunde loquitur. C. *Bachmann's System der Logik* §. 99.

SECTIO TERTIA

de

Ratiociniis.

CAPUT I.

de

Notione, et Constitutivis, Ratiociniorum.

§. 21.

Notio Ratiociniorum.

Saepe veritatem, vel falsitatem Judiciorum nostrorum uno quasi obtutu non pervidentes, solemus eadem cum aliis jam notis Judiciis conferre, sicque an vera sint, vel falsa, determinare, dum hoc agimus, *ratiocinari* dicimur; vis illa, Intellectus, qua id fit, etsi in se a *Vi judicandi* non distincta, speciali nomine *Ratio*, hujus actus *Ratiocinatio*, productum *Ratiocinium* appellatur; e. g. dum hoc Judicium „Philosophia est utilis,“ volens ejus veritatem, vel falsitatem detegere,

cum his JJ. Omne, quod intellectum excolit, est utile, Philosophia intellectum excolit," confero, visaque illius cum his convenientia, veritatem ejusdem sic infero „ergo Philosophia est utilis," ratiocinor, ratio in me agit, ratiocinium produco. Hinc

Ratiocinatio, vel *Ratiocinium subjective sumtum* in genere, est illa fuuctio intellectus (vis cogitandi), qua Judicia inter se comparantur, et cognita unius cum altero convenientia, aut disconvenientia, illius veritas, vel falsitas determinatur.

§. 22.

Constitutiva Ratiociniorum.

Cum Ratiocinium sit una, eaque praecipua species *cogitationis in genere sumtae*, cogitatio vero quaevis Materiam, et Formam habeat, Ratiocinium quoque suam habeat *Materiam*, et *Formam*, necesse est. — *Materia Ratiocinii* sunt illa judicia, e quibus ipsum coalescit, *Forma* vero est ille modus peculiaris, quo judicia inter se connectuntur; e. g. In hoc Ratiocinio „Omnis virtus est amanda, sed temperantia est virtus; ergo Temperantia est amanda," Materiam contsituunt haec tria judicia: „Omnis virtus est amanda," „Temperantia est virtus," Temperantia est amanda;" ipsa vero horum judiciorum connexio ejusdem Ratiocinii forma est.

Porro a) Judicium illud universale, ex quo tamquam e ratione, alterum, ut rationatum, infertur, quodque naturaliter primo cogitatur, *Fundamentum*, vel *Regula* aut *Principium*, b) illud, quo mediante ex Regula aliud judicium infertur,

J. subsumtivum, vel *Subsumtio*, utraque simul *Praemissa*; illud vero judicium, cujus veritas, vel falsitas ex praemissis infertur, *Consequens*; ipse demum nexus, qui inter Praemissas et Consequens intercedit, et vi cujus, si illa vera sunt, et hoc tale esse debet, et vice versa, *Consequentia* appellari solet; ut adeo in omni ratiocinio *Regula, Subsumtio, Consequens*, et *Consequentia*, tamquam totidem *partes constitutivae*, adesse, et discerni debeant. E. g. In hoc R. Omnis homo est mortalis, sed Cajus est homo, ergo Cajus est mortalis; — hoc J. „Omnis homo, est mortalis," est Regula, istud: „sed Cajus est homo." Subsumtio, hoc vero: „ergo Cajus est mortalis," Consequens; denique hujus cum illis, quae simul praemissa sunt, connexio, Consequentia est.

Nota. a) *Consequens* a *Consequentia* bene debet distingvi; illud enim est judicium, haec vero est solum connexio judiciorum in ratiocinio occurrentium. b) Consequentia in ratiocinio ita est necessaria, ut sine ipsa omne ratiocinium sit vitiosum, sit nullum. — Utrum autem c) adsit in ratiocinio consequentia, inde cognoscetur; si consequens legitime fluat ex praemissis, tamquam rationatum ex ratione, in illisque implicite jam contineatur, secus deerit: e. g. *In hoc R: Anima humana est Materia, sed materia est substantia: ergo Anima humana est substantia, deest consequentia; quia etsi verum sit istud consequens: „ergo anima humana est substantia;" illius tamen ratio non continetur in praemissis.*

CAPUT II.

de

Speciebus Ratiociniorum

Quia Anima humana ea gaudet libertate, ut, etsi cogitando generatim leges certas necessario observet, possit tamen conceptus, et judicia sua etiam alio, quam proposuimus, modo, et ordine in Ratiocinium connectere, possit alterutrum praemissorum judiciorum, ut per se clarum, reticere, possit etiam plura ratiocinia inter se connectere; hinc enascitur multiplex divisio ratiociniorum. — Nempe Ratiocinia a) vel sunt *perfecta*, vel *imperfecta*. Ratiocinia *perfecta* sunt, in quibus Regula, Subsumtio, et Consequens, distincte, et hoc ordine cogitantur, ut praecedat Regula, sequatur Subsumtio, et hanc tandem excipiat Consequens, hinc etiam *aperta*, *plena*, *evoluta*, *ordinaria* audiunt: *imperfecta* vero sunt, in quibus vel alterutrum praemissorum omittitur, vel non modo illo ordinario cum Consequente connectuntur, unde etiam *cryptica* (occulta) *hybrida* (perversa) *minus-plena*, et *minus-ordinaria* dicuntur. b) Utraque vel sunt *simplicia*, vel *composita*. *Simplicia* sunt, quae in plura ratiocinia resolvi nequeunt, seu in quibus subsumtio est unica; secus sunt *composita*.

§. 23.

Ratiocinia Perfecta Simplicia.

Ad Ratiocinia perfecta simplicia refertur *Syllogismus*, cum suis speciebus.

1.) Notio Syllogismi.

Syllogismus est Ratiocinium perfectum Simplex, in quo tria Judicia mentis ratiocinantis totidem propositionibus enunciantur; e. g. „Omne vitium est fugiendum, sed Ebrietas est vitium, ergo est fugienda."

2.) Genesis Syllogismi.

Syllogismus oritur, dum Judicii cujuspiam veritatem, vel falsitatem ex alio, mediante tertio determinare volumus; seu dum quaerimus: utrum repraesentationes (Intuitus, vel Conceptus) judicii nostri inter se re vera conveniant, nec ne? quod quia uno obtutu non pervidemus, datas duas repraesentationes cum tertia quapiam comparamus, et quidem primo unam, deinde alteram, et quaerimus, an una illarum repraesentationum cum tertia conveniat, vel non? et si quidem convenerit, vel non, hanc convenientiam, vel disconvenientiam, mente determinatam, propositione exprimimus; deinde alteram quoque repraesentationem judicii nostri conferimus cum illa tertia, et hujus etiam convenientiam, vel

disconvenientiam propositione enunciamus: tandem visa duarum repraesentationum cum tertia convenientia, vel disconvenientia, et ipsas inter se convenire, vel non convenire judicamus, judiciumque hoc aeque propositione significamus; e. g. volens cognoscere, an judicium hoc „Cajus est mortalis," verum sit, nec ne? seu utrum conceptus mortalitatis cum intuitu Caji conveniat, nec ne? confero primo conceptum mortalitatis cum conceptu hominis, et videns, quod duae hae repraesentationes inter se conveniant, sic enuncio „homo est mortalis;" deinde cum eodem conceptu hominis confero intuitum Caji, et hujus cum illo convenientiam sic exprimo, „Cajus est homo," ac tandem etiam intuitum Caji, cum conceptu mortalitatis convenire enuncio ita „Cajus est mortalis."

3.) Constitutiva Syllogismi.

In omni Syllogismo, qua ratiocinio perfecto simplici, tres repraesentationes, tria judicia, et quia repraesentationes terminis, judicia propositionibus exprimuntur, *tres termini*, et *tres propositiones*, nec non *Conclusio* particulis *ergo*, *igitur* etc. significata, ut totidem *partes constitutivae* adesse debent. — Et quidem a) *Termini* illi, qui duas repraesentationes, cum tertia collatas significant, *principales*, vel *extremi*, ille vero, qui hanc tertiam repraesentationem denotat, *subsidiarius*, vel *medius*, vocari solent. b) *Propositiones*, quae judicia illa, in quibus duarum repraesentationum cum tertia convenientia, vel disconvenientia determinatur, enunciant, *Praemissae*, et harum illa, quae Judicium universale tamquam Regulam Syllogismi continet, *Ma-*

jor, illa vero, quae Subsumtionem, seu judicium tertium, in subsidium vocatum, palam facit, *Minor* dicitur; illa denique propositio, quae Judicium consequens, seu duarum repraesentationum mutuam ad se habitudinem enunciat, *Consequens*, vel *Conclusio* audit; ut adeo *Major*, *Minor*, et *Conclusio* sint proprie partes essentiales Syllogismi, hae vero simul sumtae ejusdem *Materiam*, connexio vero ipsarum, *Formam* efficiat; e. g. in hoc Syllogismo: „Omnis virtus est honesta, sed Castitas est virtus, ergo Castitas est honesta“ — Termini extremi sunt, „honesta, Castitas,“ medius „virtus,“ Praemissae, „Omnis virtus est honesta, sed Castitas est virtus,“ et illa quidem Major, haec vero Minor, Consequens denique seu Conclusio est „ergo Castitas est honesta.“

4.) Divisio Syllogismi.

Syllogismus tottuplex est, quottuplex ejus Regula, seu Propositio major esse solet, propositio vero major, qua Judicium, quoad *relationem*, vel est *categorica*, vel *hypothetica*, vel *disjunctiva*; hinc etiam Syllogismus vel est *categoricus*, vel *hypotheticus*, vel *disjunctivus*. — Syllogismus *categoricus* est, cujus propositio major est categorica; e. g. „Omne corpus est grave, sed aër est corpus, ergo aër est gravis.“ Syllogismus hypotheticus est, cujus propositio major est hypothetica; e. g. „Si Cajus bene studet, laudem meretur, sed Cajus bene studet; ergo laudem meretur.“ Syllogismus disjunctivus est, cujus propositio major est disjunctiva; e. g. „Mundus vel est aeternus, vel in tempore creatus, sed non est aeternus; ergo est in tempore creatus“

§. 24.

Ratiocinia Imperfecta Simplicia.

Ad Ratiocinia *imperfecta simplicia* pertinent *Enthymemata*, et *Syllogismi Hybridi*.

1.) Enthymema.

Enthymema (ab ενθυμεομαι, id est *quidpiam in mente reticeo*), est ratiocinium simplex imperfectum, in quo alterutra praemissarum omittitur, et quasi negligitur, unde etiam *Syllogismus truncatus*, vel *Consequentia immediata* appellatur ideo, quod veritas, vel falsitas judicii cujusdam per solam alterius analysim sine omni assumtione innotescere videatur. — Enthymema constat duobus judiciis, quorum prius *Antecedens*, alterum *Consequens* dicitur; e. g. Omne vitium est noxium; ergo etiam Gula est noxia," — Quia vero Enthymema praecipue in judiciis *aequipollentibus*, *subalternis*, *conversivis*, et *oppositis* habet locum; hinc quatuor ejus numeramus species. a) *Per Aequipollentiam*, b) *Subalternationem*, c) *Conversionem*, et d) *Oppositionem*.

Nota. Recentiores fere omnes, *Consequentias immediatas* non solum ab Enthymemate, verum etiam a Ratiociniis stricté dictis distingvunt, et *Ratiocinia immediata*, post Kantium vero, *Conclusiones Intellectus* vocant, opposite ad Ratiocinia stricte dicta, quae *Ratiocinia mediata* appellant, *Rationisque partus* esse

dicunt. — Ast a) quia ad essentiam cujusvis ratiocinii *ordinarii* (ut vidimus) tria judicia requiruntur, neque sine subsumtione, etsi mente tantum retenta, ullum Ratiocinium est possibile; hinc Ratiocinia hoc sensu *immediata*, quasi nullam Regulam, aut Subsumtionem haberent, non admittimus. Adeoque b) si alicujus judicii nostri veritatem, vel falsitatem ex alio, brevitatis causa, sine Subsumtione clare expressa enunciamus, a *forma* tantum ratiocinii ordinarii recedimus, sicque *imperfecta Ratiocinia* nectimus. Atque hinc c) etiam Ratiocinia sic dicta immediata *species Enthymematis* sunt, *partusque rationis*, non intellectus.

b)

2.) Syllogismus Hybridus.

Syllogismus hybridus est talis Syllogismus, in quo a forma ordinaria ratiocinii receditur, et vel Propositiones, vel Termini, vel ambo simul diversimode immutantur, et transponuntur; unde tot sunt species Syllogismi hybridi, quot modis Syllogismi ordinarii, imprimis categorici, forma legitima immutari potest; triplicem vero hunc modum esse, Scholasticorum sic dictae *Figurae Syllogismorum* satis docent.

Nota. a) *Figura Syllogismi* Scholasticis erat ille modus, quo Terminus medius cum extremis comparatur; quia vero Terminus medius, cum extremis quatuor modis tantum potest comparari, quatuor etiam assignabant tales Figuras. — Nempe I-o dum Terminus medius in Majore est subjectum, in Minore praedicatum, *Figuram primam*; 2-o dum idem Terminus medius in utraque

praemissa est praedicatum, *Figuram secundam*; 3-o dum utrobique subjecti vices subit, *Figuram tertiam*, denique 4-o dum in majore est praedicatum, in Minore subjectum, *Figuram quartam* dicebant; et hanc quartam, utpote a naturali concludendi ratione maxime alienam, negligentes, tres priores his versiculis complectebantur; „*Praedicat, et subjicit Medium sibi Prima Figura: Praedicat altera bis, Tertia bis subjicit*,“ pro singula dein Figura speciales leges, anxie magis, quam utiliter assignabant.

b) Perinde solebant disquirere Scholastici singularum Figurarum *Modos*, dicebant vero *Modum Syllogismi* illam formam, qua Syllogismus sub aliqua e dictis figuris, tamqnam species sub genere, comprehenditur, quaeve e diversa trium propositionum in Syllogismo occurrentium, secundum solam qualitatem, et quantitatem, combinatione, et dispositione oritur; et quia deprehenderunt: quod in omni Syllogismo, cujuscunque sit figurae, tres propositiones secundum quantitatem, et qualitatem sexdecim vicibus possint combinari, *sexdecim* statuerunt pro qualibet figura modos, universim vero *sexaginta quatuor*; at quia ex his multi falsam conclusionem continebant, hinc *decem* tantum modos vere concludendi retinuerunt; cum autem ex his etiam decem, aliqui pro omni figura valerent, simul *novemdecim* modos concludendi numerarunt, qui ut facilius memoria tenerentur, quatuor literis: A. E. I. O. (quarum significationem jam de Judiciis agentes §. XVIII. sub B. in *Nota* dedimus) signarunt, et Terminos quosdam inanes elegerunt, in quorum Syllabis litterae illae eo ordine se exciperent, ut singulae Figurae modis commode applicari possent. — Et quidem pro primae figurae modis adhibent has voces: *b Arb—Ar—A, cEl — Ar — Ent, dAr — I — I — fer — I — O.* Pro secundae Figurae modis: *cEs — Ar — E*,

vero, cujus praemissa est praecedentis Conclusio, *Epi-syllogismus* dicitur; etsi hoc modo tres, quatuor, pluresqve Syllogismi copulentur, primus tantum Syllogismus *Pro-syllogismus*, et ultimus *Epi-syllogismus*, medii autem simul respectu praecedentis *Epi-syllogismi*, et respectu subsequentis *Pro-syllogismi* erunt, tota demum series Syllogismorum, sic quasi concatenatorum, *Argumentatio polysyllogistica* vocatur; e.g. 1-o „Id quod jura subditorum graviter violat, animorum seditionem movet, sed despotismus jura subditorum graviter violat, ergo animorum seditionem movet. 2-o Id quod seditionem movet, bellum intestinum causat, sed despotismus seditionem movet; ergo bellum intestinum causat. 3-io Id, quod bellum intestinum causat, bonum publicum subvertit, sed despotismus bellum intestinum causat; ergo bonum publicum subvertit."

E Syllogismis quoque *hypotheticis* potest formari Poly-syllogismus, si conclusio Pro-syllogismi categorica in Epi-syllogismo convertatur in hypotheticam; e. g. 1-o „Si pax perduraverit, scientiae florebunt, sed pax perdurabit; ergo scientiae florebunt. 2-o Si scientiae floruerint, cultura nationum promovebitur, sed scientiae florebunt; ergo cultura nationum promovebitur. 3-o Si cultura nationum promovebitur, crescet felicitas hominum, sed cultura nationum promovebitur; ergo felicitas hominum crescet etc."

Nonnunquam in Argumentatione poly-syllogistica praecedit Enthymema, deinde fit subsumtio, ac demum concluditur ita, ut duae quasi sint argumentationes; in tali casu Enthymema illud, *Pro-syllogismus*, ejus vero Consequens vocatur *Consequentia prima*, deinde Subsequens minor, in qua fit Subsumtio, dicitur *Subsumta minor*, hujus dein Consequentia, *ultima*, vel *se-*

cunda appellatur; e. g. „Homo est animal rationale; ergo quod rationem non habet, non est homo, sed equus rationem non habet; ergo equus non est homo."

§. 26.

Ratiocinia Imperfecta Composita.

Species ratiocinii *imperfecti compositi* sunt: *Sorites*, *Dilemma*, *Epicherema*.

1.) Sorites.

Sorites (a σωρος, *acervus*,) est argumentatio composita, in qua plures propositiones connectuntur ita, ut praedicatum primae propositionis fiat subjectum secundae, et praedicatum secundae fiat subjectum tertiae, et sic porro, donec praedicatum ultimae propositionis tribuatur subjecto primae; seu breviter: *Sorites* est Enthymema pluribus antecedentibus, et unica conclusione constans; e. g. „Cajus dictamen rationis sequitur, qui dictamen rationis sequitur, legem moralem observat, qui legem moralem observat, probus est, qui probus est, sorte sua contentus est, qui sorte sua contentus est, felix est; ergo Cajus felix est."

Sorites est duplex, *progressivus*, et *regressivus*. Sorites *progressivus* est, qui a ratione et conditione egrediendo, procedit ad conditionata et consectaria, *ut in exemplo priori*; Sorites vero *regressivus* est, qui a consectariis et conditionatis ad horum rationes et conditiones redit, vocaturque etiam

etiam *Goclenianus* (ab inventore suo *Rudolpho Goclenio Prof. Marburgi* † 1628.) e. g. „qui felix est, sorte sua contentus est, qui sorte sua contentus est, probus est, qui probus est, legem moralem observat, qui legem moralem observat, dictamen rationis sequitur; Cajus dictamen rationis sequitur; ergo felix est. — Sorites tam progressivus, quam regressivus, vel est *categoricus*, vel *hypotheticus*, vel *disjunctivus*, juxta nonnullos; prout e propositionibus vel *cathegoricis*, vel *hypotheticis*, vel *disjunctivis* consurgit. (*Exempla de singulis coram.*)

2.) Dilemma.

Dilemma, juxta antiquos, est talis argumentatio, cujus propositio major est disjunctiva, sed ex cujus singulis membris deducuntur consectaria, quorum quodcunque admittat adversarius, semper contra se quidpiam admittit; unde vocatur etiam *Syllogismus cornutus*, vel a nota fabula mulieris aegypticae cum crocodilo, *crocodilinus. Tale est illud Legatorum Sythiae ad Alexandrum M. „aut Deus es, aut homo; si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere; si homo es, id quod es, semper te esse cogita.*"

Juxta recentiores vero *Dilemma* est ratiocinium imperfectum compositum, cujus propositio major est hypothetico-disjunctiva, et in cujus minore disjunctio negatur, ut in conclusione etiam conditio majoris negari possit; e. g. „si anima humana non esset immortalis; id ideo foret, vel quia Deus non posset, vel quia nollet eandem post fata corporis conservare: sed neu-

trum dici potest; non primum, quia Deus est omnipotens; non secundum, quia est infinite bonus; ergo Anima humana est immortalis."

Si in Dilemmate membra disjunctiva sint tria, in specie *Trilemma*, si quatuor, *Tetralemma*, si quinque, *Pentolemma* etc. generatim *Poly-lemma* vocatur. (*Exempla coram.*)

3.) Epicherema.

Epicherema (ab *επιχευρησις raciotinatio*) est argumentatio imperfecta composita, in quâ alterutri, vel utrique praemissarum sua ratio adjungitur statim, brevitatis causa; et quia Oratoribus est familiaris, etiam *Syllogismus oratorius* dicitur. *Tali argumentatione probat Cicero* (*Paradox. lib. IV. C.* 3.) *avarum non esse divitem sic: „Qui virtute praediti sunt, soli sunt divites; soli enim possident res, et fructuosas, et sempiternas, solique, quod est proprium divitiarum, contenti rebus suis, satis esse putant, quod est; nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi desse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, et avari, quoniam incertas, et in casu positas res habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod habebat, esset satis: non modo non copiosi, ac divites, sed etiam inopes, ac pauperes aestimandi sunt.*"

Nota. Enumeratis hic speciebus Ratiocinii solent etiam addi *Inductio* et *Analogia* (*V. m. Log. p. ed. p.* 136—138) sed quia hae distinctam formam ab aliis non habent, ad P. *systematicam* commodius referuntur.

CAPUT III.

de

Reductione Ratiociniorum.

Ratiocinium vel Syllogismum *reducere* idem est, ac a forma quavis imperfecta, seu simplici, seu composita, ad formas simplices, puras, et perfectas revocare, manente eadem veritate. — Hoc generatim fit: 1-o si praemissa omissa, et quasi mente retenta, explicite ponatur; 2-o si propositiones transpositae ad sua loca reponantur; 3-o si termini conversi restituantur. — Unde sit

§. 27.

Reductio Enthymematis.

Enthymema generatim reducitur ad Syllogismum categoricum, Praemissam occultatam aperte exponendo: e. g. Istud Enthymema: „omnis homo est mortalis; ergo etiam Petrus est mortalis,“ praemissam minorem occultatam exprimendo, ita reducitur; „Omnis homo est mortalis, sed Petrus est homo; ergo Petrus est mortalis.“

Reliquae vero species Enthymematis commodissime reducuntur ad Syllogismum hypotheticum, si Antecedens pro Conditione, Consequens pro Conditionato assumatur: ratio est, quia in-

dicia aequipollentia, subalterna, conversiva, et opposita, ex quibus Enthymemata oriuntur, ita sunt inter se comparata, ut unum respectu alterius sit ratio, fundamentum, conditio, istud vero alterum rationatum, sequela, conditionatum; e.g. Enthymemata haec: 1-o) per Aequipollentiam: Deus omnia, quae non repugnant, efficere potest; ergo est omnipotens," 2-o) per Subalternationem: „Omnis virtus est laudabilis, ergo etiam aliqua virtus est laudabilis;" 3-o per Conversionem: „Omnis homo est animal; ergo aliquod animal est homo;" 4-o) per Contradictionem: „Omnis homo est mortalis: ergo aliquis homo non est immortalis;" 5-o) per Contrarietatem: „Omnis scientia est utilis; ergo nulla scientia est inutilis; 6-o per Subcontrarietatem: „aliqui homines sunt Philosophi; ergo iidem aliqui homines non sunt non Philosophi;" sic poterunt reduci: 1-o) „Si Deus omnia, quae non repugnant, efficere potest, est omnipotens, sed ita est; ergo Deus est omnipotens." 2-o „Si omnis virtus est laudabilis, etiam aliqua virtus debet esse laudabilis, sed ita est; ergo etiam aliqua virtus est laudabilis," 3-o) „Si omnis homo est animal, aliquod animal est homo, sed ita est; ergo aliquod animal est homo." 4-o) „Si omnis homo est mortalis, aliquis homo nequit esse non mortalis, sed ita est; ergo aliquis homo nequit esse non mortalis." 5-o) „Si omnis scientia est utilis, nulla scientia potest esse non utilis, sed ita est; ergo nulla scientia est non utilis." 6-o) „Si aliqui homines sunt Philosophi, iidem non possunt esse una non Philosophi, sed ita est; ergo iidem homines non sunt non Philosophi."

§ .28.

Reductio Syllogismorum Hybridorum.

Quia Syllogismi hybridi enascuntur, quatenus vel Propositiones vel Termini in Syllogismo, praeprimis categorico, a figura prima omnium simplicissima recedunt, et diversis modis combinantur; hinc ad istam reducuntur: 1-o) Si propositio universalis, tamquam regula, ad Majorem, Propositio particularis, qua Subsumtio, ad Minorem reponatur; e. g. Syllogismus iste hybridus: „Cajus est homo, sed omnis homo est mortalis, ergo Cajus est mortalis,“ reducitur sic: „Omnis homo est mortalis, sed Cajus est homo; ergo Cajus est mortalis.“ 2-o) Si Terminus medius in Majore subjectum, in Minore praedicatum agat; e. g. Syllogismi isti hybridi: 1-o) „quod cogitat, non est materia, sed cerebrum est materia; ergo cerebrum non cogitat,“ 2-o) nulla materia cogitat, sed materia est cerebrum; ergo cerebrum non cogitat,“ 3-o) „Quod cogitat, non est materia, sed materia est cerebrum; ergo cerebrum non cogitat,“ ad primam figuram reducuntur, si Terminus medius „materia,“ in majore pro subjecto, in minore pro praedicato assumatur, sic: „nulla materia cogitat, sed cerebrum est materia; ergo cerebrum non cogitat.“

Nota. Ex his apparet, ad *reductionem Syllogismorum hybridorum*, quae Scholasticis tam mysteriosa, et artificiosa videbatur, nihil aliud requiri, quam ut 1-o) Forma Syllogismorum perfectorum, praecipue catego-

rici, bene cognoscatur. 2-o) Terminus medius in quovis Syllogismo dato distinguatur, quod fiet attendendo, quisnam e tribus Terminis Syllogismi bis occurrat in Praemissis? 3-o) Leges Conversionis judiciorum, de quibus §. XX. Lege VIII-a locuti sumus, accurate observentur; haec qui rite observaverit, qualemcunque Syllogismum imperfectum levi negotio reducet ad perfectum, quin barbaris illis „*b Ar—b A—r, A, c El—A—r Ent* etc.“ hisque similibus vacuis terminis uti cogatur. *Cf. Logic. Fejér*, *p.* 187. *Jacobi p.* 124. *Metz*, *Handbuch der Logik. p.* 106. *etc.*

§. 29.

Reductio Soritis.

Sorites quisque reducitur ad Poly-syllogismum, tot Syllogismis simplicibus constantem, quot sunt in ipso propositiones, demtis duabus. — Et quidem

a) Sorites *progressivus* sic: quaevis illius propositio, excepta prima, quae minor est, mutatur in majorem; et quaevis conclusio obtenta mutatur in minorem sequentis Syllogismi, e. g. Sorites iste: 1-o „Anima humana cogitat, 2-o quod cogitat, est ens simplex, 3-o quod est simplex, non habet partes, 4-o quod non habet partes, non potest in partes resolvi, 5-o quod non potest in partes resolvi, est incorruptibile, 6-o ergo anima humana est incorruptibilis;“ sic reducitur ad Polysyllogismum: 1-o) „quod cogitat, est ens simplex, sed Anima humana cogitat: ergo est ens simplex; 2-o) ens simplex non habet partes, sed anima humana est ens simplex; ergo non habet partes; 3-o quod non habet partes,

non potest in partes resolvi, sed anima humana non habet partes; ergo non potest in partes resolvi; 4-o) quod non potest in partes resolvi, est incorruptibile, sed anima humana non potest in partes resolvi; ergo est incorruptibilis."

b) Sorites vero *regressivus* sic reducitur: ex propositione prima fit major, ex secunda minor, et Conclusio obtenta fit major secundi Syllogismi, ita quidem, ut quaevis propositio, prima excepta, minor, et obtenta conclusio major sit; e. g. 1-o) „quod non potest in partes resolvi, non potest corrumpi," 2-o) quod non habet partes, non potest in partes resolvi, 3-o) ens simplex non habet partes, 4-o) quod cogitat, est ens simplex, 4-o) Anima humana cogitat, 6-o) ergo anima humana non potest corrumpi," *Sorites hic regressivus sic reducitur ad Polysyllogismum*: 1-o) „quod non potest in partes resolvi, non potest corrumpi, sed quod non habet partes, non potest in partes resolvi; ergo quod non habet partes, non potest corrumpi; 2-o) quod non habet partes, non potest corrumpi, sed ens simplex non habet partes; ergo ens simplex non potest corrumpi; 3-o) ens simplex non potest corrumpi, sed quod cogitat, est ens simplex; ergo quod cogitat, non potest corrumpi; 4-o) quod cogitat, non potest corrumpi, sed anima humana cogitat; ergo non potest corrumpi."

Nota. Quodsi propositiones Soritis fuerint hypotheticae, vel disjunctivae, reducitur ad Syllogismos hypotheticos, vel disjunctivos eodem modo, quo ad categoricos, (*exempla coram.*)

§. 30.

Reductio Epicherematis.

Epicherema reducitur ad Poly-syllogismum, si ratio alterutri, vel utrique Praemissae brevitatis causa adjecta, resolvatur in Syllogismum simplicem, perfectum; e. g. istud Epicherema; „omnis, qui errare potest, potest etiam peccare, sed homo potest errare; quia est ens finitum; ergo potest etiam peccare," sic reducitur: „omnis, qui errare potest, potest etiam peccare, sed homo potest errare; ergo etiam potest peccare." Probatur minor: ens finitum potest errare, sed homo est ens finitum; ergo homo potest errare."

Nota. Quia Epicherema potest exsurgere etiam ex Syllogismis hypotheticis, vel disjunctivis; ad horum formas eodem modo reduci poterit.

CAPUT IV.

de

Legibus Ratiociniorum.

Ratiocinium in genere *verum* est, si tam ratione *materiae*, quam ratione *formae* legitime concludat, id est, si ex veris Praemissis Conclusio secundum certas regulas rite deducatur; Regulae hae ideo appellantur *Leges Ratiociniorum*, et quia Ratiocinia verbis expressa *Argu-*

mentationes, vel etiam *Syllogismi* generatim dicuntur, *Leges Argumentationum*, vel *Syllogismorum*, audiunt; cumque, vel ad omnes, vel tantum aliquas species ratiocinii se extendant, in *generales* et *speciales* dividuntur, atque omnes communi hoc Principio comprehenduntur „*Ex recte sumtis recte concludatur.*“

§. 31.

Leges Generales Ratiociniorum.

I. Quidquid affirmatur de omni, id est de subjecto quopiam universaliter, idem illud affirmari potest,, ac debet de singulis ejusdem inferioribus; e. g. „omnis homo est mortalis, sed Cajus est homo, ergo Cajus est mortalis.“

II. Quidquid negatur de omni, id est de subjecto quopiam universaliter, potest etiam, et debet negari de singulis ejusdem inferioribus; e. g. „nullus homo est perfecte probus, sed Cajus est homo; ergo Cajus non est perfecte probus.“

III. Quaecunque conveniunt uni tertio, conveniunt etiam inter se; e. g. „quia quinque denarii et tres crucigeri conveniunt cum grosso, conveniunt etiam inter se.“

IV. Quodsi e duobus cum tertio collatis unum huic conveniat, aliud non, neque illa duo inter se convenient; e. g. „quia quinque denarii conveniunt cum grosso, non autem duo crucigeri, neque hi convenient cum quinque denariis.“

V. Si ex duobus cum tertio collatis huic neutrum conveniat, nihil inde sequetur, id est, nulla legitima conclusio potest fieri; e. g. si duos au-

reos conferam cum tertio sex unciarum, et comperiam, quod neuter illorum cum hoc quoad pondus conveniat, nihil possum concludere: non quod inter se conveniant; potest enim esse, ut alter quinque, alter septem uncias habeat; sed non etiam quod non conveniant, quia iterum potest esse, ut uterque sit octo unciarum, sicque inter se conveniant, quin conveniant cum tertio, utpote sex unciarum.

Omnes vero Leges istae hoc generali principio comprehenduntur: „*Nota Notae est etiam Nota Notati*,“ id est: quotiescunque de aliquo objecto cogitamus quampiam Notam, et hujus Notae novam Notam, seu *positivam*, seu *negativam* invenimus, haec nova Nota erit etiam Nota ipsius objecti.

Nota. Etsi Leges hae proprie ad Syllogismos categoricos pertineant, quia tamen ad Syllogismi categorici formam, utpote omnium simplicissimam, et perfectissimam, quaevis aliae species Ratiociniorum, praecipue imperfectorum, seu simplicium, seu compositorum reduci possunt (Cap. praec.) juxtaque has leges generatim examinari; hinc solent has leges dicere *generales Ratiociniorum.*

§. 32.

Leges Speciales Syllogismi Categorici.

Lex 1. Terminus esto triplex non tantum voce sed et re. — Id est: in Syllogismo categorico non nisi tres termini possunt esse, et quidem

tam numero, quam significatione; ratio est: quia in Syllogismo categorico tres tantum occurrunt repraesentationes, ut vidimus, repraesentationes autem in genere terminis exprimuntur, hinc si quartus terminus quomodocunque irrepat, vitiosus erit Syllogismus. — Potest vero quartus terminus irrepere tribus praecipue modis: 1-mo *per Aequivocationem*, seu si Terminus quispiam plures habeat significationes, et in una praemissarum in una, in altera vero in alia significatione sumatur; e. g. „populus crescit ex terra, sed populus est multitudo hominum; ergo multitudo hominum crescit ex terra.“ 2-do *per Amphibologiam*, seu si terminus quispiam semel in proprio, alias in translato sensu sumatur; e. g. „qui ebriosum ad temperantiam hortatur, Aethiopem lavat; sed qui Aethiopem lavat, indiget smigmate; ergo qui ebriosum ad temperantiam hortatur, indiget smigmate.“ 3-o *per mutatam suppositionem*, seu si terminus aliquis jam pro *nuda voce*, jam pro *re significata*, vel jam in *concreto*, jam in *abstracto* sumatur; e. g. „Caesar debellavit Pompejum, sed Caesar est vocabulum punicum; ergo vocabulum punicum debellavit Pompejum.“ „Cicero fuit homo, sed homo est species; ergo Cicero fuit species.“

Nota. Aliquando ita videtur, quasi etiam in Syllogismo categorico *legitimo* plures, quam tres adessent Termini, dum nempe Conceptus quispiam pluribus vocibus exprimitur; sed re ipsa non adsunt, ut exemplum sequens clare docet: „*omnis homo, qui nomine hoc dignus esse cupit, legem rationis revereri debet, sed voluptuosus legem rationis non reveretur; ergo nomine hominis indignus est;*“ *hic proprie isti tres termini occurrunt:* „*homo*,“ „*nomine suo dignus*,“ *re-*

verentia legis rationis,“ „voluptuosus,“ licet pluribus vocibus significentur.

Lex II. Complecti Medium nunquam Conclusio debet. — Id est: Terminus medius in Conclusione nunquam occurrat, sed tantum in Praemissis, ratio est; quia, ut ex Genesi Syllogismi apparet, Terminus medius ille est, qui in Praemissis comparatur cum extremis, in Conclusione vero soli termini extremi inter se combinantur; hinc vitiosus est iste Syllogismus: „omne Aurum est Metallum, sed omne Metallum est grave; ergo omne Metallum est Aurum;“ sic enim debuisset concludi: „ergo omne Aurum est grave.“

Lex III. Aut semel, aut iterum Medius generaliter esto. — Id est: Terminus medius, si non in utraque, adminus in una Praemissarum debet accipi complete universaliter; 1-o) *universaliter* ideo, quia, si in utraque Praemissa particulariter sumatur, ad duos diversos sensus Terminorum extremorum ibidem occurrentium restrictus, et ipse duos diversos terminos efficiet, sicque contra *Legem I.* quatuor erunt Termini; e. g. vitiosus est iste Syllogismus: „omnis liber est aliquod compositum, sed aliquod compositum est quodlibet libri folium; ergo quodvis libri folium est liber.“ 2-o) *complete* ideo; quia iterum secus *contra Leg. I.* per aequivocationem poterit quartus terminus irrepere; e. g. vitiosus est iste Syllogismus: „omne munus in republica Cajum ornavit, sed Consulatus a Titio gestus est munus in republica; ergo Consulatus a Titio gestus Cajum ornavit.“ — Et hae tres leges respiciunt Terminos.

Nota. A Lege hac tertia excipitur talis Syllogismus, cujus Terminus medius est *singularis*, seu talis, qui objectum aliquod determinatum, seu Individuum, denotat; in tali enim casu abest periculum aequivocationis; *unde bonus est iste Syllogismus: „Plato fuit discipulus Socratis, sed Plato fundavit Sectam Academicam, ergo aliquis discipulus Socratis fundavit Academicam Sectam.“*

Lex IV. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam. — Id est: ambae praemissae non exprimant judicia *particularia*; ratio est: 1-o quia propositio major, qua *regula*, debet esse judicium *universale*, hinc si esset particulare, deficeret regula, sicque conclusio fieri non posset. 2-o quia secus Terminus medius bis erit particularis contra *Leg. III.* e. g. vitiosus est iste Syllogismus: „aliquis homo est loquax, sed aliquis homo est mutus; ergo aliquis loquax est mutus,“ — Idem autem est, seu sit judicium universale *designatum*, seu *indesignatum* propositio major; e. g. idem est, seu dicam: „omnis homo est mortalis,“ seu „homo est mortalis.“

Lex V. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur. — Id est: utraque praemissa non sit negativa; quia sic juxta *Leg. V. generalem* nulla conclusio poterit fieri; et quidem in regula minor debet esse affirmativa, seu deinde major sit affirmativa, seu negativa; *regula* enim et affirmative et negative potest exprimi: subsumtio vero proprie ex indole sua affirmative fit, etsi, qua propositio, saepe negative fieri videatur; e. g. nihil possum ita concludere: „nullum corpus cogitat, sed anima non est corpus; ergo — nihil sequitur.“ — Et hae duae leges concernunt praemissas.

Nota 1-o Ambae Praemisse possunt esse singulares; Judicium enim *singulare categoricum* (ut de Judiciis agentes diximus) *logice* aequivalet Judicio *universali.* 2-o Quoad *Modalitatem* ambae Praemissae possunt esse vel problematicae, vel contingentes, vel necessariae. 3-tio Praemissa minor quoad *relationem* potest esse etiam hypothetica, si nempe non sit satis certum, an aliquid sub majore ceu regula contineatur, vel non; e. g. „*homicida morte dignus est, sed Milo (si Ciceroni fides est) est homicida; ergo Milo morte dignus est.*"

Lex VI. Quantum Praemissae, referat Conclusio tantum. — Id est: nullus Terminorum extremorum latius se explicet in Conclusione, quam in Praemissis; quia secus contra *Legem I.* quatuor erunt Termini; *unde vitiosus est iste Syllogismus: „Epicurei erant Philosophi, sed Epicurei erant homines voluptuosi; ergo omnes Philosophi sunt homines voluptuosi,"*

Lex VII. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem. — Id est: si utraque Praemissa fuerit affirmativa, etiam Conclusio debet esse affirmativa, ratio est; quia juxta *Leg. III. generalem*, quae conveniunt uni tertio in Praemissis, eadem etiam inter se debent convenire in Conclusione; e. g. bene sic ratiocinor; „omnis homo est mortalis, sed Napoleon est homo; ergo Napoleon est mortalis."

Lex VIII. Et sequitur partem Conclusio debiliorem. — Id est: si una praemissarum fuerit negativa, vel particularis, etiam conclusio debet esse negativa, vel particularis. Ratio *primi* est; quia conclusio, natura sua, debet exprimere convenientiam, vel disconvenientiam Terminorum extremorum, relate ad convenientiam, vel

disconvenientiam eorundem, cum termino medio in Praemissis; igitur si alterutrum extremorum cum medio non conveniat in Praemissis, neque conveniet cum alio extremo in Conclusione juxta *Leg. IV. gen.* Ratio *alterius* est; quia secus contra *Leg. VI. specialem* Terminus extremus latius se explicaret in Conclusione, quam in Praemissis. *Unde male sic concluderem: „nullus homo est perfecte probus, sed Sempronius est homo: ergo est perfecte probus,“ sed sic, „ergo Sempronius non est perfecte probus;“ ita etiam male sic concluderem: „homo est animal, sed aliqua creatura est homo: ergo omnis creatura est animal,“* sed sic: *ergo aliqua creatura est animal,“* — Et hae postremae leges *Conclusionem* dirigunt.

Nota. a) Conclusio 1-mo quoad *Modalitatem* semper est apodictica; si enim Praemissae verae sunt, Conclusio necessario sequitur. 2-do quoad *relationem* ordinarie quidem est categorica, potest tamen esse etiam hypothetica, si subsumtio talis fuit.

b) Utrum Praemissae tales re ipsa debeant esse, quales sunt? utrum Major bene affirmet, vel neget quidpiam universaliter? utrum Minor vere affirmet aliquid, nec ne? seu utrum etiam *objective verum* sit ratiocinium? hoc dijudicare ad forum Logicae, qua scientiae formalis, non pertinet; sed aliunde determinandum est; e. g. *secundum leges hucusque recensitas, qua Logicus, legitime sic argumentor: „nullum animal aquaticum edit vivos foetus, sed elephas est animal aquaticum; ergo elephas non edit vivos foetus;“ ast utrum reipsa (objective) animalia aquatica non edant vivos foetus? item: utrum elephas sit animal aquaticum? seu quod idem est: utrum hoc meum ratiocinium*

sit etiam objective verum? hoc ex sola Logica non scio, sed aliunde discere debeo, e. g. Historia Naturae etc. Et hoc gereratim valet de quibusvis ratiociniis.

§. 33.

Leges Syllogismi Hypothetici.

Praesupposita veritate Judicii hypothetici, quod est regula hujus Syllogismi, sequentes leges speciales obtinent:

Lex I. Affirmata Conditione Majoris in Minore, debet affirmari ejusdem Conditionatum in Conclusione; e. g. „si acre frigus fuerit, gelabunt aquae, sed modo est acre frigus; ergo gelabunt aquae."

Lex II. Negata Conditione Majoris in Minore, debet negari ejusdem Conditionatum quoque in Conclusione; e. g. „si acre frigus fuerit, gelabunt aquae, sed modo non est acre frigus; ergo non gelabunt aquae."

Lex III. Affirmato Conditionato Majoris in Minore, debet affirmari ejusdem Conditio in Conclusione; e. g. „si acre frigus fuerit, gelabunt aquae, sed modo gelant aquae; ergo est acre frigus."

Lex IV. Negato Coditionato Majoris in Minore, debet negari ejusdem Conditio in Conclusione; e. g. „si acre frigus fuerit, gelabunt aquae, sed modo non gelant aquae; ergo non est acre frigus" —

Ratio harum Legum continetur in *Principio Rationis sufficientis*; Conditio enim ita se habet ad Conditionatum, sicut ratio sufficiens ad rationatum; et hinc, quemadmodum posita

ra-

ratione sufficiente, aut sublata, ponitur, aut tollitur rationatum, et vice versa: ita etiam affirmata, vel negata conditione, affirmatur, vel negatur conditionatum, et vice versa.

Nota. Kantius, (*Logik Anmerk.* 1. *LXXV.*) et post eum alii *Syllogismum hypotheticum* negant esse Ratiocinium *stricte dictum, ac perfectum* ideo; quia ex duabus solum Propositionibus consurgit, et *medium terminum* non habet, ajuntque esse solum *consequentiam immediatam*, demonstrabilem ex antecedente et consequente vel quoad materiam, vel quoad formam. — Sed Kantius sibi ipsi contradicit; jam enim prius *pag.* 191. 2. *Anmerk.* Syllogismos *categoricum*, *hypotheticum*, *disjunctivum*, pro totidem Ratiociniis perfectis, et sica se essentialiter distinctis, statuit: deinde minor clare distingvitur tam a majore, quam a conclusione quoad formam; adeoque falsum est, quod Syllogismus hypotheticus e duabus tantum propositionibus consurgat.

§. 34.

Leges Syllogismi Disjunctivi.

Si Judicium disjunctivum, quod Syllogismi hujus Regulam constituit, verum est, attendatur: num membra disjunctiva sint duo tantum, vel plura, adeoque *contradictorie*, vel *contrarie* solum opposita? — In *primo casu* sequentes leges obtinent:

Lex I. Affirmato uno membro disjunctionis in minore, debet aliud negari in conclu-

sione; e. g. „mundus vel est aeternus, vel in tempore factus, sed est in tempore factus; ergo non est aeternus.“

Lex II. Negato uno membro disjunctionis in minore, debet aliud affirmari in conclusione; e. g. „mundus vel est aeternus, vel in tempore factus, sed non est aeternus; ergo est in tempore factus.“

In *altero* vero *casu*, id est, si membra disjunctiva plura sint, quam duo, hae Leges valent:

Lex I. Affirmato uno membro disjunctionis in minore, reliqua *simpliciter* negentur in conclusione; e. g. „frequentatio cavenarum studiosis vel est prohibita, vel praecepta, vel permissa, sed est prohibita; ergo non est praecepta, neque permissa.“

Lex II. Negato uno membro disjunctionis in minore, reliqua affirmentur in conclusione, sed *disjunctive*; e. g. „frequentatio cavenarum studiosis vel est prohibita, vel praecepta, vel permissa, sed non est praecepta; ergo vel est prohibita, vel permissa.“

Lex III. Negatis reliquis membris disjunctionis in minore, unum, quod superest, affirmetur in conclusione; e. g. „frequentatio cavenarum studiosis vel est prohibita, vel praecepta, vel permissa, sed nec est praecepta, nec permissa; ergo est prohibita.“

Leges istae superstruuntur *Principio exclusi medii*, vi cujus e praedicatis contradictoriis unum necesario debet convenire subjecto, aliud non; et quidem duae priores Leges *immediate*, posteriores vero tres *mediate*, quatenus membra disjunctiva contrarie opposita, e contradictorie oppositis componuntur.

§. 35.

Leges Enthymematis.

Quia Enthymemata ex hucusque enumeratis speciebus Syllogismi perfecti contrahuntur, (unde etiam *Syllogismi contracti*, vel *abbreviati* vocantur), et in eas resolvi possunt: veritas quoque, aut falsitas eorum juxta datas hucusque leges Syllogismorum dijudicatur: sunt tamen Leges quaepiam etiam speciales huc pertinentes.

Lex I. Pro Enthymemate per Aequipollentiam. — A veritate vel falsitate unius e judiciis aequipollentibus, debet concludi ad veritatem, aut falsitatem alterius; e. g. bene sic argumentor: „Deus omnia potest facere, quae non repugnant; ergo est omnipotens.“ „nullus homo est immortalis; ergo nullus homo vivit perpetuo.“

Lex II. Pro Enthymemate per Subalternationem. — 1-o A veritate judicii subalternantis ad veritatem subalternati, et a falsitate subalternati ad falsitatem subalternantis legitime concluditur; e. g. bene sic argumentor: „omnis virtus est laudabilis; ergo etiam aliqua virtus est laudabilis;“ „aliquod vitium non est laudabile: ergo nullum vitium est laudabile.“ — Sed 2-do A falsitate subalternantis ad falsitatem subalternati, et a veritate subalternati ad veritatem subalternantis non recte arguitur; e. g. male sic concluderem: „non omnis homo est Philosophus, ergo nec aliquis homo est Philosophus, „aliquis

homo est Philosophus, ergo omnis homo est Philosophus."

Lex III. Pro Enthymemate per Conversionem. — Si Conversio legitime facta est, a veritate, vel falsitate judicii convertentis ad veritatem, vel falsitatem conversi, et vice versa, legitime concluditur; e. g. „omnis homo est animal; ergo aliquod animal est homo; nullus homo est brutum; ergo nullum brutum est homo etc."

Lex IV. Pro Enthymemate per Contradictionem. — A veritate unius e judiciis contradictoriis ad falsitatem alterius, et vice versa, legitime concluditur; e. g. „verum est, omnem hominem esse mortalem: ergo falsum est aliquem hominem non esse mortalem; falsum est aliquem hominem non esse mortalem; ergo verum est omnem hominem esse mortalem."

Lex V. Pro Enthymemate per Contrarietatem. — 1-o A veritate unius e judiciis contrariis legitime argumentamur ad falsitatem alterius; e. g. bene sic concludo: „verum est omnem hominem esse mortalem, ergo falsum est nullum hominem esse mortalem." — Sed 2-o) a falsitate unius non semper potest inferri veritas alterius; e. g. male sic concluderem: „falsum est, omnem hominem esse divitem; ergo verum est, nullum hominem esse divitem."

Lex VI. Pro Enthymemate per Subcontrarietatem. — A veritate unius e judiciis subcontrariis, ad falsitatem alterius, et vice versa, concludi debet; e. g. bene sic argumentor: „verum est, aliquos homines esse Philosophos: ergo falsum est, eosdem aliquos homines non esse Philosophos"

Leges hae fundantur in illis Legibus, juxta quas supra §. XX. Judiciorum *aequipollentium*, *subalternorum*, *conversivorum*, et *oppositorum* veritatem examinavimus.

§. 36.

Leges Soritis.

1.) Progressivi.

Lex I. Omnes Propositiones, excepta prima, debent esse universales; omnes enim Propositionem majorem, seu regulam constituunt.

Lex II. Propositio prima debet esse affirmativa; subit enim vices subsumtionis, quae de regula est affirmativa.

Lex III. Omnes Praemissae, demta ultima, sint affirmativae; quia etiam qua Subsumtiones possunt spectari, ultima tantum ut propositio major valet; et ideo affirmativa, vel negativa potest esse.

Lex IV. Conclusio ejusdem est quantitatis cum prima, et ejusdem qualitatis, ac modalitatis cum ultima praemissa, e. g. „avarus est insatiabilis, insatiabilis est inquietus, inquietus non est beatus; ergo avarus non est beatus.

2.) Regresivi.

Lex I. Sola prima propositio potest esse affirmativa, vel negativa.

Lex II. Sola ultima propositio potest esse particularis.

Lex III. Conclusio est ejusdem quantitatis cum ultima, et ejusdem qualitatis, ac modalitatis cum prima propositione; e. g. „inquietus non est beatus, insatiabilis est inquietus, avarus est inquietus; ergo avarus non est beatus."

Ratio harum Legum sita est partim in Indole ipsius Soritis, partim in Legibus Syllogismorum perfectorum.

§. 37.

Leges Dilemmatis.

Lex I. Disjunctio primae propositionis debet esse completa; secus omnis vis Dilemmatis eliditur; e. g. male sic argumentarer: „anima vel peribit cum corpore, vel in aeternum erit beata; si primum; mors non est timenda, quia post fata corporis nihil superest; si alterum: mors aeque non est timenda, quia vita beata nos manet."

Lex II. Consectaria e membris disjunctivis deducta, debent cum his in nexu necessario esse; secus negabitur sequens propositio; e. g. male quis argueret morbum patienter esse ferendum sic: „morbus vel est gravis, vel levis; si gravis, non diu durabit; si levis, ipsa sua levitate est tolerabilis."

Lex III. Dilemma non sit *reciprocum*, quod tunc evenit, sit ex uno quovis membro disjunctivo duplex consectarium possit deduci, unum favens argumentanti, alterum adversario; e. g. male quis dehortaretur amicum suum a cappessendo munere publico sic: „munus tibi oblatum vel bene administrabis, vel male; si bene, offendes ho-

mines, si male, offendes Deum; ergo munus tibi oblatum recusare satius est;" posset enim amicus argumentum sic retorquere; „munus mihi oblatum vel bene administrabo, vel male; si bene, placebo Deo; si male, placebo hominibus; ergo munus mihi oblatum acceptare, consultius est." simile exemplum est legere apud *A. Gelium V.* 10.

Nota. a) Juxta has Leges poterit examinari Dilemma, etiam ut per recentiores formari solet; v. g. *vitiosum est istud Dilemma: „si Philosophia utilis esset, vel ad opes, vel ad honores augendos esset utilis, sed nihil horum dici potest; ergo Philosophia non est utilis:" hic enim* 1) *Disjunctio non est plena; quia praeter enumerata commoda, sunt etiam alia, quae suis cultoribus praestare potest Philosophia.* 2) *Consectaria non connectuntur necessario; etsi enim ista bona non adferret, adhuc utilis esset Philosophia. Imo* 3) *ipsa etiam subsumtio est falsa; quia multis commoda illa jam attulit Philosophia.*

b) *Polysyllogismi* et *Epicherematis* speciales Leges hic loci non assignamus; istae enim species partim mediate, partim immediate reducuntur ad Syllogismos simplices, perfectos (ut C. III. vidimus), ac proinde juxta horum leges commode dijudicari poterunt: *Inductionis* vero et *Analogiae* leges *P. methodica* evolvet.

c) *Syllogisticae usus* quousque se extendat, non aequa est omnium sententia; nos cum *Roesser*, *Karpe*, *Metz*, aliisque, Syllogismorum formas recte adhiberi censemus, quoties veritas proponenda, examinanda, defendenda, et errores refellendi sunt; namque eae et compendium disputationis faciunt, vagaeque garrulitati froenum injiciunt, et, sitne in subsumendo, seu *Materia*, vel concludendo, seu *Forma* vitium, ostendunt: e con-

tra eum in finem velle adhibere Syllogismos, ut ope ipsorum ejusmodi formae universales statuantur, quibus e datis et cognitis conceptibus incogniti inveniantur, vel *tales* regulae universales sistantur, juxta quas datis aliquot partibus ratiocinii, aliae quoque erui possint, idem foret, ac antiquorum *Topicorum* de *locis communibus* implicari erroribus. *Cf. Lamberti Institutiones logicas I. T. cum Bachmanni System der Logik* §§. 156—158.—*et* §. 165. *Anmerk.* 1. 2. 3.

PARS SECUNDA

METHODICA.

Caput Praeliminare

de

Methodo, Methodologia, ac utriusque Speciebus.

§. 38.

Notio Methodi, et Divisio.

Methodus in genere est certus modus, quo cognitiones varias ad determinatum quempiam finem connectimus. — Est autem multiplex, nempe; 1-o) alia est *scientifica*, alia *popularis*; haec soli perspicuitati consulens ad communem intellectum semet accomodat, ideo *exoterica*, vel si brevibus absolvatur sententiis, *aphoristica* quoque dicitur: illa praeter perspicuitatem ordini quoque et rationibus prospicit, et quia praecipue in scholis obtinet, et hic etiam praeferenter in *Mathesi* et *Philosophia*, *exoterica*, *scholastica*, *mathematica*, aut *philosophica* etiam appellatur. 2-o) Alia est *analytica*, alia *synthetica*; illa est, quae a rationatis ad rationes, seu principia, et a singularibus ad universalia procedit, hinc etiam Methodus regressiva vocatur; haec vero a rationibus ad rationata, ab universalibus

ad particularia descendit, et etiam Methodus progressiva dicitur, habetque locum in Scientiis pertractandis praeprimis in Mathesi, ubi e contra Methodus analytica tunc praeprimis valet, dum *popularitatem* sectamur. 3-o) Alia est *critica*, quae ipsa etiam principia crisi subjicit: alia *dogmatica*, quae ex praesuppositis principiis docet. 4-o Alia est *acroamatica*, s. *discursiva* et *explicatoria*, alia *erotematica*, s. *interrogatoria*; illa est Methodus viri, qui solus docet: haec vero est, qua docens auditores suos interrogando instituit. Haec iterum 5-o) vel est *dialogica*, alias *Socratica*, vel *catechetica*; illa est, qua discipulus interrogando cogitur responsa ipse invenire; haec vero est, qua tantum quaeritur, quid discipulus memoria teneat? et quia haec ad memoriam, illa vero ad intellectum respicit; hinc prior apud adolescentes potissimum, posterior apud pueros habet locum. *V. Gondolkodástudomány* §. 132.

Nota. a) Methodus analytica solet per quosdam appellari etiam *Methodus Inventionis*, et *Heuristica* s. *Ars inveniendi* omnis ipsi superstrui, Methodus vero synthetica *Methodus Compositionis* dici. Sed minus idonee; veritas enim non invenitur sicut machina quaepiam, aut pulvis pyrius, sed ex ipsa natura objectorum vel animae cogitantis detegitur: *Heuristica* vero, qua ars inveniendi, est commune momentum omnis Methodi, seu analyticae seu syntheticae; sicut enim illa ex rationatis et principiatis rationes et principia, sic ista ex rationibus et principiis rationata et principiata quaeruntur, et horum detectio saepe majori difficultati subest, quam illa principiorum; denique ab incognito ad cognitum deveniri, et synthesis absque praevia analysi institui nunquam potest.

b) Praeter enumeratas hic Methodos distinguunt adhuc Methodos *combinatoriam*, *syllogisticam*, *tabellarem*, *empiricam*, *positivam*, *rationalem* etc.; ast 1.) Combinatio, seu diversimoda permutatio et connexio elementorum constitutivorum cognitionis, non est Methodus distincta, sed omnis Methodi scientificae necessaria una proprietas, qua saepe uberrimae veritates detegi solent: reliquae autem speciales Methodi non aliud sunt, quam e diversa natura objectorum cognoscibilium enatae modificationes Methodi scientificae, in quibus jam analysis, jam synthesis praedominatur. *V. Bachmann's System der Logik.* §. 274 *et* 277.

§. 39.

Notio Methodologiae.

Methodologia in genere est scientia, quae docet modum cogitationibus et cognitionibus nostris, cujuscunque sint materiae, unitatem et perfectionem systematicam conciliandi, adeoque ipsas *stricte scientificas* reddendi; plures enim cognitiones inter se non connexae, etsi recensitis hactenus legibus cogitandi conformes, necdum sunt *scientia stricte et proprie dicta*; sed tantum *aggregatum* et *rhapsodia* cognitionum, nullum totum, nullum systema constituentium, sed, ut scientia possint dici stricte et proprie, *methodice* debent uniri, i. e. ita intime et arcte necti, ut altera ab altera dependeat, se mutuo penetrent, reciproce firment, et ita in se mutuo agant, quasi functiones diversorum membrorum sani cujusdam et solidi corporis organici.

Hoc qui possit, et debeat universim effici, cum secunda haec pars Logicae doceat (§. IV.)

appellatur *Methodologia generalis*, *Methodica*, *Systematica*, vel *Architectonica*; ipsa proinde materiam cognitionibus non dat, sed undecunque datae formam scientificam conciliat, et isolatas ejus partes in unitatem systematicam conjungit.

Quia vero quaevis cognitio, cum *Judicium* involvat, secundum quatuor momenta *Quantitatis*, *Qualitatis*, *Relationis*, et *Modalitatis* examinari potest (§. XVIII.); hinc etiam cujusvis cognitionis perfectio scientifica secundum hos quatuor respectus determinari poterit praeprimis. — Nempe cognitio nostra quoad Quantitatem perfecta erit, si fuerit *ampla;* quoad Qualitatem, si fuerit *clara*, et *ordinata;* quoad Relationem si fuerit *vera*; denique quoad modalitatem, si fuerit *certa;* ut adeo *claritas*, *ordo*, *veritas*, *certitudo*, *et amplitudo* sint *praecipuae dotes* cognitionum *systematice perfectarum*, seu *stricte scientificarum*; quae quibus modis obtineantur? videamus.

SECTIO PRIMA.

de

Perfectione Cognitionum ratione Qualitatis.

Cognitiones nostrae *respectu qualitatis* perfectae sunt, si sint *clarae*, et *ordinatae*. — *Claritas* cognitionibus conciliatur per *Definitiones*, *Ordo vero per Divisiones Logicas.*

CAPUT I.

De Definitione.

§. 40.

Notio Definitionis, et Divisio.

Definire in genere significat rei cujuspiam tot notas enumerare, quot sufficiant ipsi ab aliis discernendae; adeoque *Definitio generatim sumta*, est notarum alicujus rei distinctivarum enumeratio. Hinc in omni Definitione duo haec adesse debent: 1-o) illud, cujus notae enumerantur, quodque *Definitum* dicitur, 2-o) Notarum enumeratio, et haec est ipsa *Definitio*; e. g. Propositio haec: „Homo est animal rationale," *est Definitio, et quidem ejus Subjectum* „homo", *est Definitum, praedicatum vero ejusdem* „animal rationale", *ceu enumeratio notarum hominis, est Definitio ipsa.*

Definitio vel *late*, vel *stricte* sumitur. — Definitio *late sumta* est aliquot notarum rei distinctivarum enumeratio, habetque istas species: *Descriptionem*, *Expositionem*, *Explicationem* et *Declarationem.* — *Descriptio* est enumeratio tot notarum, seu necessariarum, seu contingentium, quot sufficiunt ad rem quampiam ab aliis distingvendam, *estque magni usus in Historia naturae, Physica, et Medica.* — *Expositio* est enumeratio notarum aliquot essentialium conceptus, sed non omnium; *hac utitur praecipue Philosophus, dum v. g. Conceptus Substantiae, Ju-*

ris, *etc. notas essentiales aliquot enumerat*, *incertus*, *an omnes complete enumeraverit.* — *Explicatio* aut *Enodatio est* ejus, quod obscurum est, clarificatio, seu deinde id per descriptionem, seu per expositionem, aut exempla fiat. *Declaratio* demum est conceptus cujuspiam arbitrarie a nobis efformati, notarum enumeratio; e. g. si mihi efformem conceptum horologii nautici, huncque alteri communicare volens, enarrem notas, quas mihi sub hoc conceptu repraesentavi, conceptum meum declarare dicor.— Definitio vero *stricte sumta* est, notarum alicujus conceptus essentialium distincta, adaequata, et praecisa enumeratio.

Definitio haec vel est *nominalis*, vel *realis*, vel *genetica*.—Definitio *nominalis* est, quâ vocis cujusdam significatio aliis verbis explicatur, ad evolvendam objecti voce hac signati aliquam notam; unde etiam *verbalis*, vel *etymologica* dici solet; e. g. Philosophia est Studium Sapientiae.— Definitio *realis* est, quae objectum ipsum ita praecise determinat, ut a quibusvis aliis similibus certo et constanter discerni possit, proinde rei cujusdam essentiam attingit; e. g. Triangulum est spatium tribus lateribus clausum. — Definitio *genetica* est, quae rei cujusdam originis modum et possibilitatem proponit; e. g. Circulus est spatium, quod generatur, si linea quaepiam recta, una extremitate fixa, alia circumagi, et ubique post se vestigia relinquere cogitetur, ideo etiam *causalis* v. *practica* solet appellari.

Nota. 1.) Mathematici *theoreticas* et *practicas* Definitiones distinguunt; pro theoreticis habent reales, pro practicis geneticas; quare? non videtur: illa vero divisio Definitionis in *analyticam* et *syntheticam*,

quam ego quoque post Kant et Krug hucdum tenui (*V. prior. edit. m. Log.*), est penitus rejicienda; Definitio enim *analytica* illa dicitur, qua conceptus jam datus tantum in suas notas resolvitur; *synthetica* vero, qua conceptus definiendus per enumerationem notarum in conscientia primo componitur; nam non solum Definitio genetica eo ipso est synthetica, sed talis debet esse quaevis alia Definitio, cum objectum suum in conscientia construere, et ex partibus in unum totum componere debeat, non autem per analysim dismembrare et totalitatem ejus destruere: quod demum Definitiones *principales v. primi ordinis*, et *laterales v. secundi ordinis* concernit; hae Definitiones *late* sumtae, illae *stricte* dictae sunt.

2.) Definitiones nominales sunt totidem praeparationes ad reales, imo, si characteristicas conceptus notas exprimant, uti e. g. technici boni termini, cum his identicae: realium vero Definitionum est, defectum nominalium supplere.

3.) Quia Definitiones geneticae conceptuum possibilitatem et genesim determinant, regularum instar inserviunt pro construendis realibus: reales e contra definitiones in geniticas transeunt, si objecta quasi coram oculis mentis oriri faciant, uti e. g. apud mathematicos.

4) Quia stricte dicta Difinitio omnium notarum essentialium enumeratio est; quoad conceptus quidem mathematicos et practicos obtinet, sed quoad conceptus empiricos, quoad individua, et Ens infinitum non, verum in his Descriptiones solum aut Expositiones etc. habent locum; sane Infinitum definire velle, tantum foret, ac illimitatum limitare.

5.) Definitiones philosophorum pleraeque quidem nominales sunt, aut Expositiones, Explicationes etc. sed haud paucae, praeprimis in conceptibus practicis, etiam stricte reales; unde

6.) Cum Kantio (*Kr. d. r. V. S. 757. 759.*) asserere, in sola Mathesi occurrere Definitiones, et has solas vacare vitio, nimium est dicere; practici enim conceptus, etsi non mathematici, ita stricte possunt definiri, sicut isti: et quod etiam mathematici errent in suis definitionibus, scripta loquuntur.

§. 41.

Leges Definitionis.

Lex. I. Definitio debet esse praecisa. Id est: Notae in Definitione contentae nec plures, nec pauciores sint, quam quae sufficiant ad Definitum ab aliis ejusdem generis distingvendum ita, ut salva veritate definitionis substitui possit, et vicissim. — Hinc 1-mo Definitio non sit *latior* suo Definito, id est, non contineat pauciores Notas, quam conveniant Definito; sed nec 2-o *angustior,* id est, non contineat plures Notas, quam quae conveniant toti extensioni Definiti, alioquin totius Definitionis scopus tollitur. Sed 3-io *legitima* Definitio Definiti Notam *proximam genericam,* et *numericam* debet continere, seu (ut dici amat) *proximum genus, et ultimam differentiam* habere; est vero *nota proxima generica* illa; quae est communis Definito cum aliis ejusdem generis, *numerica* autem v. *specifica,* quae ab his ipsum distingvit. E. g. haec Definitio: „homo est ens rationale;" est latior suo Definito, et ex defectu generis proximi vitiosa; ens rationale enim etiam aliud praeter hominem datur; haec contra: „homo est animal rationale, et sapiens," est angustior suo Definito; excludit enim in-

infantes, et his similes; adaequata vero hominis Definitio est haec: „homo est animal rationale."

Lex II. Definitio debet esse adaequata. — Id est: Definitio *essentiales*, et *originarias* notas Definiti contineat; *contingentes* enim notae, cum et adesse, et abesse possint, Definitionem jam *latiorem*, jam *angustiorem* redderent: notae vero *non-originariae*, essentiam rei non attingentes, Definitionem suo scopo destituerent; e. g. vitiosae sunt istae Definitiones hominis: „homo est animal risibile," „homo est animal bipes implume."

Lex III. Definitio debet esse clarior suo Definito: primarius enim Definitionis scopus est, ut distincta claritas conceptuum acquiratur. Hinc 1-o) abesse debent termini obscuri, ambigui, metaphorici, inanes etc. quales apud scholasticos frequentissimi occurrunt, et in recentiori quoque a Kantio Philosophia non pauci deprehenduntur. 2-o) Definitum non debet ingredi Definitionem, seu immediate, seu mediate, seu aperte, seu occulte; secus enim *in circulo versabimur*, (*δἰ ἀλλήλων*) id est, idem per idem explicabimus, quod est contra naturam verae definitionis; e. g. vitiosae sunt istae Definitiones: pulchritudo est forma cujusdam pulchra," „Dominus est, qui servum habet; servus est, qui Dominum habet etc."

Lex IV. Definitio non debet esse negativa; per Definitionem enim cognoscere volumus, quid quidpiam sit, non autem quid non sit? e. g. vitiosa esset haec definitio Logicae: Logica est scientia, quae regulas honesti non tradit. — Interim lex haec patitur exceptionem in conceptibus negativis, qui de natura sua non aliter, nisi negative possunt definiri, quales sunt

v. g. **Conceptus: ens simplex, ignorantia, umbra etc.**

Nota. Leges hae ad *stricte dictas* definitiones proprie spectant, non autem ad Definitiones *lato sensu* acceptas; istae enim, cum sint veluti totidem praeparationes ad illas, sufficit, si notas distinctivas rei definiendae contineant, seu illae deinde sint necessariae, seu contingentes, seu originariae, seu derivativae, seu plures, seu pauciores: solumque cavendum est, ut notae negativae absint.

§. 42.

Modus Definitionem inveniendi.

Definitiones *reperiuntur:* 1-o) Si serio attendatur, quid res definienda cum aliis *commune*, quid *proprium* sibi habeat. 2-do Notae *contingentes* ab *essentialibus*, *consecutivae* a *constitutivis* separentur; ac tandem 3-tio Notae essentiales constitutivae inter se rite jungantur. e. g. volens Definitionem hereditatis condere, ante omnia inquiro in quibusnam casibus vocabulum hereditatis occurrat? et deprehendo, id valere de vinea, agro, pecunia, etc.; deinde quaero, quid his omnibus objectis commune sit, quid proprium? deprehendoque, tam agrum, quam pecuniam etc. esse quidpiam boni; ab aliis notis, in quibus haec omnia non conveniunt, interea praescindo, ac demum investigo, quid unicuique hereditati essentialiter conveniat? invenioque

hanc notam „hereditas quaevis est bonum, quod morte alterius ad nos devolvitur"; sed quia bonum, quod morte alterius ad nos devolvitur, non semper est hereditas; secus enim etiam pecunia hominis, a me inique occisi, esset hereditas; hinc reperio, illud, quod hereditas dicitur, legitime (jure) ad nos debere devolvi: has ergo notas inter se jungendo, hanc demum obtineo Definitionem hereditatis: „hereditas est bonum, quod morte alterius ad nos jure devolvitur." Vid. Cic. in Topicis. c. 6.

Nota. Quia objecta limitatae sphaerae, in rigidas formas reclusa, fixa et nonviventia, qualia sunt conceptuum mathematicorum, longe facilius est definire, quam illimitata, altiora, formas variantia, viva et in perpetua evolutione constituta, qualia sunt conceptuum empiricorum et multorum philosophicorum; nihil mirum, quod bonae Definitiones in Mathesi non tantae artis, aut indaginis sint, quam in Scientiis Naturae et Philosophia; nec invidere debet hanc fortunam philosophus mathematico, sciens, quod ipsum ad normam mathematicorum velle definire, idem esset, ac quaestionum philosophicarum objecta, naturam, et tendentiam ignorare, et quod Ideae Animae, Libertatis, Virtutis, Immortalitatis, Naturae, Dei etc. cum figuris geometricis nec comparari possint, et quod harum vel solae Expositiones finibus humanitatis plus sublimiusque consulant, quam Matheseos conceptuum strictissimae Definitiones, adeoque quod gloria sit Philosopho esse una Mathematicum, sed ingloria Mathematico non esse simul Philosophum! —

§. 43.

Modus Definitionem examinandi.

An definitio aliqua ad leges §. XLI. expositas exacta, adeoque bona sit, via brevissima et securissima examinatur per *Conversionem* (§. XIX. b), et quidem vel *simplicem* vel illam per *Contrapositionem*, si nempe Definitio cum Definito permutata istud plene adaequet, et nullum falsum judicium sistat. Si enim A=B. etiam B=A, si e. g. quadratum est figura quatuor aequalium laterum cum angulis rectis, etiam figura quaevis quatuor aequalium laterum cum angulis rectis est quadratum; et si A=B, nihil, quod non est B,=A: cogitetur quippe tertium objectum C, a B diversum, hoc non potest esse=A, nam si C=A esset, esset etiam =B, quia A=B, =C, quod est absurdum. Unde —

Lex I. Definitio, quae quidem se contraponi sinit, ast non per conversionem simplicem dat judicium verum, sed tantum per accidens, est latior suo Definito, adeoque vitiosa. E. g. haec Definitio „animalia sunt substantiae organicae, quae certo modo incitatae moventur" est vitiosa; quia per contrapositionem est quidem verum, quod nulla substantia organica, quae certo modo incitata non movetur, sit animal: sed per simplicem conversionem non est verum, quod omnes substantiae organicae, certo modo incitatae, se moventes sint animalia, cum et plantae reperiantur sic se moventes.

Lex II. Definitio, quae quidem per Conversionem simplicem verum judicium sistit, sed non

aeque per contrapositionem, est angustior suo Definito, proinde non legitima. E. g. haec Definitio „animalia sunt creaturae organicae, semet sponte moventes et aliis corporibus non inhaerentes“ non est legitima; quia per conversionem simplicem verum quidem est, quod omnis creatura organica se sponte movens et aliis corporibus non inhaerens sit animal: ast per contrapositionem non est verum, quod nulla alteri corpori inhaerens, seipsam movens creatura sit animal, cum Zoophyta, etsi aliis corporibus affixa sint, vera sint animalia.

Nota. 1.) Doctrina de Definitionibus est usus uberrimi, et in scientiis maximi momenti; hac enim recte intellecta et adhibita potest solum conciliari claritas et perspicuitas cognitionibus, et logomachiae, inanes litigationes, vitia ratiociniornm et demonstrationum, infausta haec Scientiarum impedimenta et prostibula, evitari. Interim

2.) Valde erraret, qui ex facilitate Definitiones dandi, metiretur scientiarum pretium, et Definitionibus arbitrarie formatis illas superstrueret; Definitio enim, quantumvis bona, scientiae vel tractatui cuipiam scientifico, ut in scholis solet, praefixa, non aliud est, quam nuda asseveratio ejus, quod aliquid sic sit: ast quod id reipsa sic sit, idearum reliquarum evolutio, nexus, rationes, et deductio finalis debent evincere, ut adeo Definitiones non qua initia, sed qua resultata scientiarum debeant spectari.

CAPUT II.

De Divisione.

§. 44.

Notio Divisionis.

Dividere generatim significat, totum quodpiam in suas partes distribuere; ut adeo *Divisio* in genere nihil aliud sit, quam totius cujusdam in suas partes distributio.

Dividere in specie *logice* significat, Conceptus cujusdam inferiora complete enumerare; adeoque Divisio *logica* est distincta eorum, quae sub quopiam conceptu ut inferiora continentur, enumeratio. — Conceptus ille superior vocatur *Divisum*, aut *Totum logicum*, hujus inferiora *Membra dividentia*, ratio vero, seu respectus, ex quo Divisio instituitur, *Fundamentum Divisionis* audit; e. g. homo potest habere eruditionem, vel non (Fundamentum Divisionis); ideo quilibet homo vel est doctus, vel indoctus (Divisio), et quidem homo est divisum, doctus autem vel indoctus sunt membra dividentia. Si membra dividentia duo sunt, Divisio apellatur *Dichotomia*, si tria, *Trichotomia*, si quatuor, *Tetrachotomia*, si plura, *Polytomia*.

Si Divisum ex pluribus respectibus dividatur, oriuntur *Condivisiones*, si vero membra alicujus Divisionis de novo dividantur, oriuntur *Subdivisiones*; series denique pluribus Con- et

Subdivisionibus constans, *Tabella Divisionis* v. *Classificatio systematica* dicitur; e. g. dum Conceptus divisimus ratione intensionis et extensionis, fecimus Condivisiones, dum vero ratione extensionis eosdem de novo distribuimus, Subdivisiones fecimus, quae simul sumtae tabellam Conceptuum constituunt.

Nota. a) Divisio a Definitione in eo distingvitur: quod Definitio *Intensionem*, Divisio vero *Extensionem* Conceptuum respiciat, id est: per Definitionem notae in aliquo Conceptu contentae, per Divisionem vero inferiores repraesentationes sub aliquo Conceptu comprehensae enumerantur.

b) Divisio *logica* debet discerni a divisione *nominali*, *physica*, et *mathematica;* Divisio enim *logica* Conceptus respicit; Divisio vero 1-mo *nominalis* diversas vocis cujusdam significationes explicat, unde etiam *grammatica* appellatur. 2-do *Physica* totius cujusdam compositi partes separat, hinc etiam *Partitio* appellatur, et vel *mechanice*, vel *chemice* absolvitur. 3-tio *Mathematica* vero in diversa limitatione spatii consistit; e. g. *dum dicimus*: *Mundus significat*, *vel totam rerum universitatem*, *vel Systema solare*, *vel terram nostram*, *grammatice dividimus ; dum asserimus: hominis partes esse Corpus et Animam*, *partimur*; *dum vero Philosophiam in formalem*, *et materialem distribuimus*, *logice dividimus*.

c) Ad Divisionem Logicam proxime accedit sic dicta *Distributio rhetorica*, qua sermonis, aut doctrinae cujusdam principalis propositio in sua capita, et membra distribuitur.

d) Divisionis valor praeprimis ab ejus fundamento pendet, quod quia in conceptibus empiricis, quorum sphaera indefinitae extensionis est, difficilius est inveni-

re, quam in mathematicis aut practicis; hinc sicut Definitiones, ita et adaequatae Divisiones rarissimae dantur objectorum experientiae, sed pleraeque sunt tantum adpropingvatoriae ad Ideale illud, quod ex systemate Naturae oculo mortali obscure objicitur. Hinc fit, quod scientiae empiricae Divisiones suas cum tempore vel rejicere vel emendare, vel novis con et subdivisionibus supplere debeant; quod tamen ipsis dedecori haud est, cum id natura objectorum, circa quae versantur, secum ferat, et recte per hoc progressus ipsarum palam fiat.

§. 45.

Leges Divisionis.

Ideale illud, ad quod scientiae quaevis Divisiones suas exigere, et ad quod, si non pervenire, saltem adpropingvare debent, sequentes Leges sistunt.

Lex I. Divisio debet esse adaequata, i. e. omnia membra dividentia contineat ita, ut haec simul sumta Diviso aequivaleant; secus enim Judicium disjunctivum, quod Divisio involvit, verum non est, et Divisio vel *latior* vel *angustior* erit suo Diviso, adeoque ita vitiosa, sicut talis Definitio. E. g. male dividerem homines in albos et nigros, quia dantur etiam alterius coloris. Hinc

Lex II. Divisio ne careat Fundamento, i. e. a tali nota egrediatur, quae Diviso reipsa insit, illud, qua genus, in distinctas *species* partiatur, et in deductione scientifica usui alicui inserviat; proinde eo melior est Divisio, quo fundamentum ipsius cum natura Divisi arctius connectitur, et

quo facilius consequentiusque se applicari sinit: e contra, quae tali fundamento caret, *phantastica* aut *infundata*, aut si plane objecti, ad quod applicari debet, legibus repugnet, *chimaerica*, illa vero, quae vili et sterili superstruitur fundamento, *exilis* aut *inanis* appellatur. E. g. fundata est divisio hominum in doctos et indoctos, infundata mineralium in ea, quae partes genitales perfecte evolutas habent, et in ea, quae insinuatas tantum; chimaerica spirituum in rubros et flavos, vilis et exilis hominum ratione formae, vestium vel modi ambulandi, comedendi etc.

Lex III. Divisio habeat unitatem, i. e. fundamento suo constanter inhaereat, et ex hoc membra dividentia facile et consequenter deducat. Interim, quia fundamenta divisionis plura possunt esse, plures etiam legitimae Condivisiones possunt institui unius ejusdemque conceptus; dummodo quaelibet harum ab alia independenter fiat, secus si membra condivisionum misceantur, confusa erit contra scopum suum Divisio. E. g. confuse divideret conceptus logicos, si eos, qui intensionem respicerent, iis, quae ad extensionem pertinet, intermisceret.

Lex IV. Divisio sit pauca, i. e. nullum membrum dividens, sit superfluum: quod tunc fieri solet, dum aliquod bis ponitur, semel explicite, alias implicite e. g. male dividerem homines in doctos, indoctos et mathematicos, quia jam hi sub doctis intelliguntur. Huic malo occurritur per subdivisiones

Lex V. Divisio sit continua, i. e. fiat primo in membra proxima et magis generalia, deinde in remota et minora; e. g. postquam homines divisi in doctos et indoctos, doctos bene subdivido in mathematicos et nonmathematicos. Secus *saltus* v. *hiatus* erit in dividendo.

Lex VI. Membra dividentia sint opposita, et Divisum in sui oppositione adaequantia: opposita; quia in nullo Diviso, qua toto reali, potest esse una pars eadem cum alia, et contradictio foret, unam eandemque partem qua duas distinctas ejusdem totius enumerare; sed secus et judicium disjunctivum, quo Divisio fit, esset falsum (§. *XX. L.* 3.); totum vero debent adaequare ideo, quia secus non totum, sed aliqua tantum ejus pars fuisset divisa, Divisioque angustior foret. E. g. rite divido animalia in rationalia et irrationalia, non rite vero in rationalia et cogitantia, quia hic non oppositio, nec adaequatio est.

Lex VII. Divisio fiat symmetrice, i. e. Membra dividentia ratione suae extensionis non sint ita inaequalia, ut unum respectu alterius nullam proportionem habeat, adeoque unum nimis parvum, aliud nimis magnum sit. E. g. non symmetrice divideret metaphysicus mundum in terram et coelum, sed in materialem et immaterialem omnino.

Nota. Krug (S. 462. 463.) cum multis aliis, quos et ego alias secutus sum, asserit, Divisionem pure logicam duobus tantum posse constare membris, et quidem contradictorie oppositis, quia respectu logico de quocumque objecto hoc solum potest sciri, quod nota quaepiam ipsi vel conveniat, vel non: ast si notarum realium habeatur ratio, sic jam et plurium membrorum posse esse Divisionem; et haec exempla adducit „*anguli vel sunt recti, vel nonrecti, homines vel sunt albi vel nonalbi.*“ Ast haec minus recte videntur esse dicta; cum juxta sententiam ipsius Krugii, Divisio *pure logica* debeat abstrahere ab omni materia Divisi, in adductis autem exemplis hujus ratio habetur; quia qua logicus nec de angulis rectis, nec multo minus de hominibus albis

scio quidquam, sed prius ex intuitu immediate, posterius ex experientia mediate. Melius proinde judicant, qui sic statuunt: Divisio bimembralis per oppositionem contradictoriam tunc est necessaria, quando membra dividentia in tali stant adinvicem relatione, e. g. physicus bene dividit electricitatem in positivam, et negativam; quod tamen etiam positive potest fieri, e. g. homines dividendo in viros et faeminas, aut lineas in rectas et curvas; alias autem sufficit, etiamsi contrarie tantum sint opposita membra dividentia.

SECTIO SECUNDA

de

Perfectione Cognitionum Ratione Relationis.

Cognitiones nostrae, *spectata Relatione*, perfectae sunt, si sint *verae*; imperfectae vero sunt, si sint *falsae*.

CAPUT I.

De Veritate Cognitionum.

§. 46.

Veritas Cognitionum in Genere ejusque Species.

Cognitio nostra in genere *vera* est, si secum ipsa, et cum objecto suo consentiat; et quidem: 1-o) si secum ipsa consentiat, id est legibus cogitandi conformis sit, non habita ratione objecti, quod cognoscitur, est *formaliter*, *subjective*, *nominaliter*, *idealiter* vel *logice vera*. Si vero 2-0) cum objecto suo consentiat, id est

objectum tale re ipsa sit, quale a nobis cognoscitur, est *materialiter*, *objective*, *realiter vera;* e. g. cognitio mea, quam de Ente realissimo habeo. logice vera est, in quantum conceptus Entis realissimi liber est a Contradictione, seu quatenus Deum cogitare possum: in quantum vero cognitioni meae de Deo objectum a parte rei respondet, seu quatenus Deus re ipsa existit, est materialiter vera.

Proinde *Veritas* in genere est consensus cognitionum nostrarum secum ipsis, et cum objectis suis. — Estque duplex: *formalis*, et *materialis*. Veritas *formalis*, alias *logica*, est consensus cognitionum cum legibus cogitandi; Veritas vero *materialis*, alias *objectiva*, est consensus cognitionum cum objectis.

Ex hac differentia Veritatis in genere sumtae intelligitur, *nullam cognitionem posse esse materialiter veram, quae formaliter vera non est*: etenim cognitio veritate formali destituta contradicit Legibus cogitandi, quod vero Legibus cogitandi contradicit, cogitari non potest, quod cogitari non potest, nec objecto suo consentire potest; e. g. si quis mihi narraret, se vidisse montem sine valle, nullis testibus de veritate materiali hujus cognitionis possem certus reddi; repraesentatio enim montis sine valle jam in se est contradictoria, adeoque veritate formali destituta; quod vero jam in se repugnat, nec realiter existere, nec per testes verificari potest. — Veritas igitur logica est conditio necessaria Veritatis materialis ita, ut illa non subsistente, nec haec locum habere possit.

A *Veritate cognitionum* distinguere solent Veritatem *metaphysicam*, et *moralem;* illam nempe in eo reponunt, ut res actu existens habeat

omnia, quae ad ejus realem ac naturalem constitutionum requiruntur; *ita dicimus v. g. aurum esse verum, si metallum quodpiam fulvum habeat ea omnia, quae ad realem auri naturam per se requiruntur:* *moralem* vero veritatem dicunt esse convenientiam sermonis cum mente sermocinantis; *ita appellamus hominem veracem, qui, sicut sentit, sic loquitur.* Sed de his speciebus Veritatis Metaphysica, et Moralis agit.

Nota. a) Dividitur praeterea Veritas in *physicam*, *historicam*, *hermeneuticam*, *psychologicam*, etc. — Veritas *physica* est consensus eventuum cum viribus naturae. — Veritas *historica* est consensus narrationis cum adjunctis rei, quae narratur, et secum ipsa. — Veritas *hermeneutica* est consensus cognitionis Lectoris vel Auditoris cum mente Auctoris. — Veritas *psychologica* est consensus repraesentationis cum perceptione ejusdem. — At hae, et his similes species veritatum, praeterquam, quod objecta cognitionum diversa concernant, sicque in Logica proprie pertractari non possint, comprehenduntur jam sub conceptu generali *Veritatis cognitionum.*

b) Usque ad tempora Kantii fere omnes Philosophi *Veritatem cognitionum* in consensu harum cum suis objectis generatim reponentes, *formalemque* a *materiali* aut penitus, aut accurate non discernentes, hanc quoque ad forum Logicae, tamquam *veri falsique* non tantum *disceptatricis*, et *judicis*, sed etiam *inventricis* (ut loquuntur) revocabant, *Criteriaque* ejusdem, *Fontes* etc. erudite assignabant. Kantius fuit primus, qui in sua *Critica Rationis purae pag.* 78. *et hujus Praefatione pag. VIII. IX.* viam praemonstravit, quam omnes fere recentiores ingressi, in suis logicis operibus, et compendiis solam formalem Veritatem cognitionum per-

tractantes, Veritatem materialem aliorsum relegant. — Horum vestigiis in puncto hoc insistere, mihi quoque e re visum est ita: ut hic loci de sola Veritate formali cognitionum agens, Veritatem eorundem materialem cum suis Criteriis et aliis huc referri solitis quaestionibus ad Metaphysicam relegarem.

§. 47.

Criterium Veritatis Logicae.

Criterium vel *Indicium veritatis* illud dicitur, ex quo, cur quidpiam verum sit, intelligitur. — Est duplex: *formale*, et *materiale*. Criterium *formale* est, ex quo veritas formalis cognitionum dijudicatur. Criterium vero *materiale* est, quo veritas materialis cognitionum intelligitur. — Utrumque vel est *universale*, vel *particulare;* illud est, ex quo omnium cognitionum veritas pro omni casu erui potest: hoc vero est, ex quo nostrarum repraesentationum consensus cum determinato aliquo, et particulari objecto dijudicatur.

Criterium *materiale* subdividitur in *infallibile*; et *fallibile*, — Criterium *infallibile*, alias *sufficiens*, illud dicitur, ex quo veritas plene et adaequate intelligitur: *fallibile* vero, alias *insufficiens* Criterium est, quod veritatem adaequate non docet, seu quod saepius etiam decipere potest. — Criterium *infallibile* iterum vel est *absolute*, vel *hypothetice* tale; prout vel absolute, vel saltem positis certis conditionibus (quales sunt *leges naturae physicae, et morales)* nos non decipit; unde illud *metaphysice*, hoc *physice*, vel *moraliter infallibile* appellari solet. — Sed

de his in Metaphysica recurret sermo., ubi de Veritate materiali actum fuerit.

Hic solum *Veritatis logicae Criteria* assignanda sunt; sunt vero haec tria: *Principia Contradictionis*, *Rationis sufficientis*, et *exclusi Medii*, quae supra, ut totidem *Leges supremas cogitandi*, proposuimus.

Nempe:

a) *Principium Contradictionis* determinat tantum possibilitatem Veritatis cognitionum, juxta has formulas: „*quod nullam Contradictionem involvit*, *potest esse verum*," „*quod sibi ipsi contradicit*, *nequit esse verum*;" adeoque Principium Contradictionis est *universale Criterium Veritatis*, sed tantum *negativum*, quatenus ex ipso hoc solum intelligitur, quandonam necessario desit cognitioni cuidam veritas.

b) *Principium Rationis sufficientis* determinat externum realem valorem cognitionis; et quidem 1-o) *positivè*, juxta has regulas „*concessa Ratione sufficiente*, *concedendum est Rationatum*," *concessis Rationatis omnibus*, *et ipsa horum Ratio sufficiens concedenda est*." 2-o) *Negative*, juxta hanc regulam „*negato Rationato*, *neganda est Ratio sufficiens*," si tamen haec *unica* est sui Rationati; si enim plures sunt possibiles rationes alicujus cognitionis contingentis, in tali casu a veritate hujus non sequitur hujus vel alterius veritas ex pluribus possibilibus rationibus, sed haec regula obtinet: „*concesso Rationato*, *non semper concedenda est Ratio*."

c) Vi *Principii exclusi medii* inter veritatem et falsitatem cognitionis nullum medium datur, ita, ut quaelibet cognitio vel sit vera, vel falsa; et in genere quod verum est, falsum, et quod falsum est, verum esse non possit. Adeoque 1-o) omnis cognitio vera contradicit cogni-

tio-

tioni falsae. 2-o) Cognitio, quae alteri verae non contradicit, et ipsa est vera. 3-o Omnes cognitiones verae inter se consentiunt, et omnes falsae sibi contradicunt, obtinetque illud: „*in regno veritatum contradictio non datur.*"

Nota. a) Tria hic enumerata Principia dum *Veritatis logicae Criteria* esse asserimus, non ita hoc intelligendum est, quasi horum Principiorum in dijudicanda veritate cognitionum materiali nullus usus esset (*cf. P. Anal. C. praelim.* §. *VII. observ. b*, *et c*); licet enim ex ipsis Veritas materialis *immediate* non perspiciatur, quatenus id, quod cogitatur, non semper, aut saltem non ita a parte rei existit; intelligitur tamen *mediate*, quatenus id, quod cogitari absolute nequit, nec existere potest.

b) Aliqui enumeratis his Criteriis Veritatis logicae addunt etiam *Evidentiam*, et *communem Naturae sensum;* quibus nec nos refragamur, dummodo se ad solam Veritatem formalem non restringant (*cf. Fejér* §. 148): probaturi enim sumus in Metaphysica, ex Evidentia et Communi Naturae sensu, ipsam etiam Veritatem Cognitionum materialem secure colligi posse.

CAPUT II.

De Falsitate Cognitionum.

Cognitioni verae Cognitio *falsa*, Veritati *Error* opponitur.

§. 48.

Error in genere, ejusque Species.

Cognitio *falsa* est, quae secum ipsa, et cum objecto suo non consentit; quam si quis pro vera habeat, *errare* dicitur, ut adeo *Error* in genere sit judicium falsum, quod quis pro vero habet, aut vice versa.

Species Erroris sunt multiplices, nempe: 1-o) alter est *formalis*, alter *materialis*. — Error *formalis* est dissensus cognitionum nostrarum a legibus cogitandi: Error vero *materialis* est dissensus cognitionum ab objectis; e. g. Errorem formalem committeret judicans, circulum esse quadratum; materialem vero judicans, montem aureum existere. 2-o) Uterque vel est originarius, vel derivativus, prout sui vel in nullo praecedente rationem habet, et alii ex eo errores consequuntur, vel vero secus; e. g. Criticismi Kantii originarius (fundamentalis) Error est, omnem cognitionem nostram limitibus experientiae concludi; derivativus vero, existentiam Dei, Libertatem, Immortalitatem Animae etc. e ratione theoretica demonstrari non posse. 3-o) Error materialis solet subdividi in *theoreticum*, et *practicum*. Error *theoreticus* est, qui versatur circa proprietates rerum, e. g. ita erraret judicans, Lunam majorem esse Stellis. Error vero *practicus* est, qui ad actus hominum liberos refertur, e. g. si quis ita judicaret, quidquid lubet, licet, errorem practicum committeret.

Nota. Pro diversitate objectorum, circa quae judicia nostra versantur, distinguunt adhuc errores *anthro-*

pologicos, physicos, historicos, theologicos, ethicos, politicos, oeconomicos etc. Sed de his agere aliorsum pertinet; Logica solum de errore *formali* agit, *materialem* etiam errorem in genere, et in tantum solum attingit, in quantum cum formali arctissime connectitur.

§. 49.

Origo et Causa Errorum Generalis.

Quo facilius est determinare, quomodo veritas in respectu formali possibilis sit, utpote ad quod nihil amplius requiritur, quam ut Intellectus Legibus suis necessariis conformiter agat, eo difficilius est assignare veram Errorum *originem*, et *causam*. — Multi in *intellectu*, alii, cum *Eleaticis*, in *sensibus*, juxta illud „*in sensibus error est*, *in intellectu solo veritas*,“ quaerunt Errorum Originem, et Causam. — Ast 1-o) *intellectus pure* spectatus errare non potest; hic enim, ut facultas, et vis quaecunque alia, Legibus naturae suae necessariis non potest non parere, quin secum ipso pugnet, et sic se ipsum destruat. Neque 2-o oritur Error ex *sensibus*; hi enim non judicant, sed impressiones tantum ab objectis factas pro materia cognitionis animo adferunt, tales, quales acceperunt, adeoque semper veras.

Alibi proinde quaerenda est vera Errorum Origo, et Causa, nempe in *Apparentia*, et *Illusione*, quae quemvis errorem praecedit; seu in *Intellectu* nostro *subjective spectato*, et multimode limitato, qui subjectivis naturae humanae conditionibus seductus, id, quod in combinandis repraesentationibus mere *subjectivum* est, putat esse *objectivum*. — Nimirum: cum Intellectus

noster de objectis prius non judicet, quam de illis repraesentationes habuerit, et pro diversitate harum repraesentationum diversa de rebus judicia formet; hinc, ut primum ex quacunque causa diversae reprasentationes de uno eodemque objecto, aut eaedem repraesentationes de diversis objectis adsunt, adest quoque subjectiva ratio, ut Intellectus idem de diversis objectis, vel diversum de uno eodemque objecto judicium ferat; cui rationi subjectivae si revera obtemperet, et ex identitate repraesentationum identitatem quoque objectorum colligat, in errorem labitur.

Quia vero Illusio haec varia est, et vel a sensibus, vel ab imaginatione, vel a memoria etc. provenit, quia item passiones, et affectus voluntatis, cum quibusdam aliis adjunctis externis saepe nobis illudunt; facile est assignare *Causas Errorum speciales.*

§. 50.

Causae Errorum Speciales.

Causae copiosorum illorum errorum, in quos Intellectus humanus in cognitionibus suis quibusvis frequenter prolabitur, partim *internae* sunt, partim *externae.* — Ad illas referimus: *naturalem Intellectus nostri limitationem*, *ejusdem morbos*, *pravos affectus voluntatis*, *praejudicia varia*; ad has vero pertinent: *vitia sermonis*, *vitiosa corporis constitutio*, *perversa educatio*, *prava cum aliis consvetudo*, et *conversatio.*

1.) Naturalis Intellectus Limitatio.

Cum errare generatim significet falso judicare, Intellectus vero nunquam falso judicaret, si veram rerum dijudicandarum indolem perspiceret; hinc ejusdem *limitatio*, vi cujus multa satis non perspicit, primaria est causa Judiciorum erroneorum. — Naturalis vero haec Intellectus nostri limitatio, et infirmitas vel inde satis apparet; quod inter innumeras veritates, ipsi etiam menti creatae secus cognoscibiles, non nisi paucas in hac vita cognoscere nobis datum sit: item quod nec plura simul accurate percipiamus, nec ea, quae cognoscimus, plene semper et omni ex parte comprehendamus.

2.) Morbi Intellectus.

Morbi Intellectus huc pertinentes sunt; *Praecipitantia*, *nimia sciendi Libido*, et *Studiorum Satietas.*

Praecipitantia judicandi in illis se manifestat, qui absque praevia inquisitione ad decidendas controversias abripiuntur, quo fit, ut misso accuratiore quaestionis examine, praemature sententiam ferant, huicque tanto pertinacius deinceps adhaereant, quanto magis temerario ausu eandem conceperunt.

Qui *nimia sciendi libidine* tenentur, falso sibi persvadent, omnia cognosci posse, quae quaeruntur, sicque non modo iis cognoscendis, quae aut prorsus inutilia sunt, aut saltem eorum statui, loco, et conditioni haud convenientia, tempus omne, et vires impendunt, sed etiam ea te-

merarie pervestigant, quae captum humanum superant, aut ad quorum cognitionem nullae viae patent, aut ad quae intelligenda adhuc debite praeparati non sunt. Sic deinde fit, ut omne Literaturae genus, in quo alios excellere vident, sine ordine, selectu, et lege arripiant, nova ubique, et paradoxa sectentur, veritatibus clarissimis tenebras offundant, certisima quaeque addubitent, et nihil fere probent, nisi quod alii improbant.

Qui vero, morbo illo mentis, qui *Studiorum Satietas* appellatur, laborant, falso judicant, se omnia illa jam in copia tenere, quae ad quampiam scientiam pertinent, nihilque amplius novi invenire posse; hinc aliorum ultra progrediendi conatus sugillant, tritumque illud: *nihil sub sole novi*,“ identidem oggerunt; — ex qua judicandi agendique rationem, confusionem et copiam errorum nasci, manifestum est.

3.) Pravi Voluntatis Affectus.

Etsi negari non possit, vim affectuum et propensionum voluntatis ad eruendas, firmandasque veritates saepe multum conferre, quatenus veritatis studium in nobis excitant, et solertiam in exquirendo exstimulant; illud tamen etiam certum est: *judicia Intellectus re nulla magis, quam a voluntate perverti*, — Sane experientia quotidiana testatur, ea, quae ingrata sunt, missa a nobis fieri, iis autem, quae nos delectant, nimium inhaerere, unde fit, ut attentionem saepe avertamus ab illis, quibus verum edoceri potuissemus, et ea tantum exquiramus, quibus grati species in nobis exoritur, vel fovetur. — Dum animus *affectibus*, id est vehemen-

tiori et repentino alicujus voluptatis vel doloris sensu commovetur, intellectui vividis et fallacibus rerum speciebus illuditur, genuini objectorum aspectus aut auferuntur, aut immutantur, atque ita judicia praecipitantur, et pervertuntur; quod exempla affectibus amoris, odii, spei, metus, irae, invidiae, gaudii, tristitiae etc. abreptorum clarissime loquuntur; ut adeo recte motus et affectus animi inordinatos dicamus post Platonem *nebulas*, quibus serena mentis regio opacatur, et post Plutarchum *vitra colore perfusa*, quibus rerum colores immutantur.

4.) Praejudicia.

Praejudicia in sensu lato sunt Judicia, quae sine praevia investigatione tamquam vera assumuntur; *talibus praejudiciis laborat homo indoctus, multa ab aliis doctioribus tamquam vera recipiens, quin ipse veritatem perspiciat.* — *In sensu* vero *stricto Praejudicia* sunt judicia quaepiam universalia erronea, quae praevie instar principiorum cognitionis habentur; e. g. si quis judicet, quotiescunque Luna halonem habet, pluere debet; quoties ranae coaxant, pluvia sequetur: quoties quis erubescit, male sibi conscius est, in Praejudiciis versatur.

Hic loci de Praejudiciis tantum stricte talibus sermo esse potest; Praejudicia enim late sumta possunt in se vera judicia esse, et problematice tantum assumuntur ad detegendam veritatem; unde etiam *Judicia praevia*, vel *Hypotheses* appellantur, ubi contra Praejudicia stricte dicta jam ante debitam inquisitionem quidpiam ut ve-

rum determinant, sicque merito causis errorum adnumerantur; e.g. si quis falso judicaret, somnium esse praesagium certum futurorum, erraret ideo; quia ex eo, quod aliquoties contingit, id semper contingere debere, praejudicate concluderet. — Omne proinde Praejudicium principium erroris dici potest, quatenus in ipso ratio subjectiva judicii semper pro objectiva assumitur, jureque hoc sensu Baco et Cartesius *exstirpationem praejudiciorum*, tamquam praecipuam conditionem culturae scientiarum, proponunt.

Ratione Objecti alia sunt: 1-o) *erga nos ipsos*, quibus plus vel minus justo viribus nostris confidimus; unde Praejudicia *nimiae Confidentiae*, vel *Diffidentiae* nomen habent. 2-o Praejudicia *erga alias Personas*, quibus aliis hominibus, horum judiciis et activitati plene nos committimus unice ideo, quia nobis superiores sunt; unde Praejudicia *nimiae Auctoritatis* oriuntur. 3-o) Praejudicia *erga certos Status*, et Classes hominum, quo pertinent *judicia multorum de Sacerdotibus*, *Monachis*, *Militibus etc.* 4-o) *Erga res quaspiam*, *harumque proprietates*, ita multi ea tantum habent pro veris, quae subtilia, et paradoxa, ea pro pulchris, quae antiqua, aut nova, ea pro bonis, quae utilia sunt; quo Praejudicia sic dicta *Qualitatis*, *Antiquitatis*, et *Novitatis* revocantur.

Ratione Subjecti, seu illorum, qui praejudiciis laborant, alia sunt Praejudicia: 1-mo) *Nationis*, talia habet *quilibet populus* sibi propria. 2-do) *Religionis*, ita propriis *Judaeus*, *Mahomedanus*, *Christianus*que tenetur praejudiciis. 3-o) *Multitudinis*, quibus illi laborant, qui ideo tantum quidpiam cogitant, aut agunt, quia etiam alii ita cogitant, et agunt. 4-o Praejudicia *Aetatis*; sua nempe habet judicia erronea *Senex*, sua

etiam *Juvenis*: ille Juventutem ut corruptam, et superficialem, hic vero senectutem ut morose obliviosam, omnisque bonae culturae incapacem culpat; quo Praejudicia *Senectutis*, *Juventutis*, *et praematurae Sapientiae* pertinent.

Ratione Applicationis Praejudicia sunt vel *theoretica*, seu talia, quae intellectum modumque cogitandi, et cognoscendi concernunt, vel *practica*, seu talia, quae in actiones nostras influunt, voluntatemque varie determinant; ita v. g. *Praejudicio thoretico laborat judicans, omnia ita esse a parte rei, prout sensibus apparent*; *Praejudicio vero practico, putans religionem solo cultu Dei externo absolvi.*

5.) Vitia Sermonis.

Vocabula etiam et *voces*, quibus cogitationes nostras figimus, aliisque communicamus, errorum causas saepius existere, facile intelligitur; nam 1-o) praeterquam quod in omni lingva iisdem nominibus res toto genere diversae signentur, sicque earum qualitates falso concipiantur, aut confundantur; insuper vocum etymologia, vagaque vel omnino erronea significatione incautis frequenter illuditur. 2-o) Plerasque voces jam ea aetate condiscimus, qua ipsarum veram potestatem perspicere, et conceptus rerum iisdem subjectarum efformare nondum valemus. 3-o) Vocabulis, etsi tantum meris repraesentationum et rerum signis, mens ita assvescit, ut ea pro ipsis repraesentationibus et objectis habeat, adeoque haec adesse vel abesse opinetur, ubi certas voces vel formulas adesse, vel abesse observat.

6.) Vitiosa Corporis Constitutio.

Nativa corporis inertia efficit, ut istud quovis labore facile fatigetur, et quasi sub ingenti pondere fatiscat, maxime si deliciis arte paratis inordinate, et anxie foveatur. — Hinc fit, quod tam lente tamque taediose ad ardua, et sublimia enitamur, tam pauca difficilia aggrediamur, pauciora prosequamur, paucissima absolvamus: malumus quamlibet veri speciem arripere, aut auctori quamcunque vili subscribere, quam ipsi veritatem exquirere, parum solliciti, quam recte judicemus, dummodo commode vivere possimus; atque ita in Judiciis nostris frequentissime erramus.

7.) Perversa Educatio.

Tenerarum prolium cura talibus frequenter committitur, quorum capita anilibus fabulis, imo gravissimis circa Religionem et Moralitatem erroribus turgent. — Pueri in mera inscitia adolescunt, vel verberibus ea inculcantur illis, quibus intelligendis tenerae eorum mentes nondum pares sunt; memoria plerumque maxime, intellectus vero parum excolitur; atque ita non cognitionibus veris, sed semine innumerorum errorum replentur.

8.) Prava cum aliis Consvetudo.

Ita a natura comparati sumus, ut mores eorum, quibus sociis utimur, universam sentiendi, et cogitandi rationem inbibamus, juxta vetus illud adagium „*noscitur e Sociis, qui non cognoscitur ex se*;“ inde est, quod frequens

cum ostentatoribus literariis conversatio ostentationem, modestiae philosophicae directe oppositam, cum scepticis scepticismum, cum ignava plebe superstitiosas opiniones praejudiciaque plurima animo instillet; sicque Judicia nostra erronea reddat.

§. 51.

Remedia Errorum.

Erroribus obnoxius non recte cogitat; expositis itaque causis errorum et fontibus, Logicae, utpote quae scientia recte cogitandi est, nihil antiquius esse debet, quam cultori suo *Remedia*, regulasque suppeditare, quibus errores evitari, vel si jam commissi sunt, emendari possint.

1.) Remedium Generale Errorum.

Remedium generale contra quosvis errores est *sobria prudensque Dubitatio*; hac enim quibusvis Erroribus, horumque causis occurrere, veritatem secure scrutari, scrutando ad ipsam pervenire poterimus, ita, ut hoc sensu recte cum Cartesio dici possit *„de omnibus dubitandum esse.“* — *Sobrie* vero et *prudenter dubitamus* sequenti modo:

a) Solius Veritatis amor nos ad dubitandum impellat; amandatis proinde procul quibusvis affectibus et passionibus, mens sit in dubitando quieta, et non nisi lento pede in scrutando procedat.

b) Nosmet ipsos perfecte intelligamus, oportet; quod ita fiet, si rationes dubiorum nobis distincte reddere noverimus.

c) Veritate detecta, aut saltem probabiliter elucente, finis Dubitationi imponatur; ne secus in *scepticismum materialem* incidamus, qui illorum error est, qui de omnibus semper dubitandum esse, sicque ab erroribus caveri tantum posse contendunt, quae sententia quantum a mentis natura abhorreat? videbimus in Metaphysica.

d) Ne Dubitatio in consvetudinem abeat, sicque *sobria* esse desinat, perpendendum est: 1-o) non illico veram, aut falsam esse assertionem, cujus veritas vel falsitas nobis non innotescit; intellectus enim noster privatus cujusvis alterius intellectus universalis judex esse non potest. 2-o) Licet aliquam propositionem ex pluribus falsam deprehendamus, non illico concludendum est, et alias, quas propter illam unam pro veris habemus, falsas esse; possunt enim aliis suffultae rationibus omnino verae esse. 3-o) In rebus dubiis alii quoque consulendi sunt; saepe enim jam amicus amico lucem accendit. Denique 4-o) et Deus, fons omnis veritatis invocandus est

2.) Remedia Specialia Errorum.

a) Cavendum est, ne *Illusionem* pro Veritate sumamus; proinde attendendum, ne repraesentationes et res subjectivae ac idealiter tantum existentes pro objectivis, et vere existentibus habeantur: inquirendum est, an hoc, quod possibile videtur, etiam rationem sufficientem sui habeat: non enim omne possibile est hoc ipso

actuale, seu quod vulgo dicitur: *„a posse ad esse non valet argumentum.“*

b) Comparanda sunt judicia nostra cum judiciis aliorum; quo enim minus illa cum his conveniunt, eo magis suspecta est ipsorum Veritas.

c) Intellectus *communis* non est contemnendus, sed tamquam dux fidelis respectu Intellectus *culti* respectandus; saepe namque accidit, ut viri doctissimi in re quapiam graviter errent, de qua indocti rectissime cogitant.

d) Utendum est intellectu proprio, propriis, ut dicit amat, oculis videndum, auctoritati omni non fidendum, sed scrutandum, et ad principia eundum est.

e) In dijudicandis aliorum sententiis scholae propriae obliviscendum, et asserta ab aliis prolata secundum Leges cogitandi et cognoscendi examinanda sunt, videndumque, num his consentiant, nec ne?

f) Ante Veritatem penitus perspectam nunquam definitive est judicandum; sed eousque suspendatur judicium, donec omnia clara, distincta, *solida*, id est rationibus firmis suffulta compareant.

g) Totum Cognitionum Systema saepius revideri, et lustrari debet, an non contradictio aliqua irrepserit; sane sibi diffidere, praecipuum contra errores praeservativum est.

3). Remedia Specialissima Errorum.

a) *Contra naturalem Intellectus limitationem.* Naturalis Intellectus nostri limitatio, etsi nullis regulis et praeceptis sufferri possit, permovere tamen quemcunque debet, ut 1-o) missis rerum inutilium cognitionibus, omnem suam

operam rebus scitu necessariis et utilibus impendat; 2-o) ut nunquam copia rerum condiscendarum Intellectus sui vires debilitet, et exhauriat; 3-o) ut ea, quae sphaeram cognitionis humanae excedunt, curiosus incassum non investiget.

b) *Contra Praecipitantiam.* Praecipitantiam judicandi quisque evitabit, si ita, ut diximus, *sobrie dubitare* noverit; certe hunc canonem secutus errores omnes, in quos, de rebus seu sensibilibus, seu intellectualibus judicans, frequenter labitur, feliciter declinabit.

c) *Contra nimiam sciendi Libidinem.* Imbecillitatis humanarum virium quisque memor, studeat illud antiquorum „*Nosce te ipsum!*“ alte animo imprimere, ut sic sinceram sui ipsius, facultatumque suarum cognitionem sibi comparare valeat; ita enim fiet, ut quid statui suo conforme, quid scitu necessarium, et utile, quid ferre valeant humeri, quid recusent? agnoscat, a contradictionis, aut cuncta audacter demonstrandi spiritu liber evadat: sed nec funestis scepticismi laqueis involvatur, nec nimio critisandi pruritu abripiatur.

d) *Contra Studiorum Satietatem.* Serio cogitandum est: 1-o) modestiam Socratis, qua hic *se nihil aut parum scire* contra Sophistas profitebatur, sanae Philosophiae Principium, verique Sapientis Characteristicam esse; 2-o) Scientiarum progressus fere infinitos esse, cum et ipsae, et intelligentiae vires majoris semper sint perfectionis capaces, neque hucusque exhauriri adhuc potuerit nova inveniendi potestas.

e) *Contra affectus voluntatis.* Contra affectus animi inordinatos sic nos praemuniemus: 1-o) imperio rationis subigendi sunt; 2-o) mente affectibus concitata nunquam cogitandum; 3-o)

judicia animo affectibus abrepto lata mente serena et tranquilla denuo ad rationis crisim revocanda sunt.

f) *Contra Praejudicia.* Tutissimnm contra Praejudicia remedium est, opiniones judiciaque omnia, quibus ab infantia quis imbutus est, mente adulta et ab omni partium studio libera examinare, ad principium aliquod per se patulum reducere, et animo forti rejicere, quidquid sobrium et rigidum rationis examen non sustinuerit: — Juvabit praeterea in Praejudiciis, quia plerumque extrema tenent, medium observare; sic v. g. *inter praejudicia Antiquitatis et Novitatis Veritas media consistit ita, ut nec omnia antiqua nec omnia nova vera, vel falsa, bona vel mala judicemus etc.*

g) *Contra Vitia Sermonis.* Defectui Lingvarum hincque resultantibus erroribus occurritur observando illas generales Regulas, quas supra (*P. Analyt. C. III.* §. *XV.*) de *usu Terminorum* assignavimus. *cf. Fejér Logika p.* 85. §. 143. *st.* 144. *et Bachmann's Logik* S. 377—410.

h) *Contra vitiosam corporis Constitutionem.* 1-o) Fugienda sunt omnia, quae corporis ignaviam augent, qualia sunt nimia mollities, cibus potusque immoderatus, intempestivus somnus, aliaeque illecebrae. 2-o) Ubi corporis conditio veritatis cognitioni obstat, illud St. Ambrosii monitum observandum „*Vince naturam diligentia*; *naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam!*"

i) *Contra malam Educationem.* Cuncta, quae a puero accepimus, principia, dum adoleverimus, seriae disquisitioni sunt subjicienda, et non nisi ea, quae rigidam prudentemque crisim sustinent, retinenda.

k) *Contra perversam Conversationem.* Ii seligendi sunt socii, qui ingenio, et doctrina nos superant, judiciaque nostra erronea corrigere et volunt, et possunt.

Nota. a) Praeter hic adductas Causas Errorum praecipuas, aliae quoque adhuc dantur haud paucae (*V. meam hungaricam Logicam* §. 65—93. *Bachmann's System der Logik* §. 393—418): sed hae omnes ad enumeratas possunt revocari, et Errores, quos gignere solent, vel iis, quae hic praescripta sunt, vel quae deinceps praescribentur, remediis praepediri, aut curari.

b) Illa, quae partim ex Anthropologia, partim e Philosophia practica huc translata sunt, veniam sperant; breviter enim, et in genere solum attacta sunt, in tantum, in quantum cum prioribus in arctissimo nexu consistunt; alioquin Logicam ita *purisare*, ut (sicut recentissime quidam faciunt) ex parte hac secunda praeter *Tractatus de Definitione Divisione et Demonstratione*, cetera quaevis excluderem, mihi e re visum non est. *cf. Metz Handbuch der Logik. Bamberg und Würzburg*, 1816. etc.

SECTIO TERTIA

de

Perfectione Cognitionum Ratione Modalitatis.

Cognitiones nostrae *spectata modalitate*, id est, quatenus ad intellectum referuntur, perfectae sunt scientifice, si sint *certae*: imperfectae vero sunt, si sint *incertae*.

CAPUT I.

De Certitudine Cognitionum.

§. 52.

Notio Certitudinis, et Divisio.

Cognitio *certa* illa dicitur, cujus veritati mens citra omnem formidinem erroris assentitur ideo, quia illa sufficientibus rationibus (*criteriis veri*) nititur; e. g. cognitio haec, totum est majus sua parte, est certa, quia ejus veritas e sola terminorum apprehensione jam sufficienter intelligitur. Hinc *Certitudo* est ille status mentis, in quo Criteriorum Veritatis sufficientiam distincte intelligimus; seu breviter: est veri habitio cum

conscientia necessitatis connexa, quae respectu suae immobilitatis et irresistibilitatis, etiam *convictio* appellatur; ut adeo, tunc vere *certi*, et *convicti* simus, dum conscii sumus, quod cognitio, quam pro vera habemus, falsa esse non possit.

Certitudo pro vario respectu varia est, nempe; —

a) *Pro diversitate Criteriorum*, quibus cognitionum nostrarum veritas nititur, vel est *absoluta*, vel *hypothetica.* — Certitudo *absoluta* adest, dum veritas cognitionis nostrae talia habet Criteria, quae in nullo casu fallunt, seu dum de veritate cognitionis ita certi sumus, ut oppositum omnino impossibile esse perspiciamus: unde etiam *apodictica* appellatur; *tali Certitudine scio me existere*; *impossibile esse, idem simul esse, et non esse.* — Certitudo vero *hypothetica* est, cum talia adsunt Criteria veri, quae positis certis conditionibus nunquam decipiunt, seu dum de veritate cognitionis ita certi sumus, ut oppositum, stantibus legibus naturae et morum impossibile esse intelligamus; unde etiam *ordinaria* dicitur; estque vel *physica*, vel *moralis*, prout Criteriorum veritatis sufficientiam vel salvis legibus naturae, vel salvis legibus morum, perspicimus, e. g. Certitudine physica cognosco solem cras quoque oriri, et occidere, Certitudine vero morali teneo Napoleonem Gallorum Imperatorem in insula S. Helenae exulem mortuum esse.

b) *Pro diversitate Fontium*, e quibus quidpiam verum esse cognoscitur, Certitudo vel est *empirica*, vel *rationalis.* — Certitudo *empirica* adest, dum Criteriorum veri sufficientia ex experientia propria, vel aliena desumitur; unde illa *originarie*, haec vero *derivative* empirica,

vel etiam *historica* audit; e. g. Certitudine empirica originali scio me gaudere, aut corpora extra me existere. Certitudine vero historica Julium Caesarem et Pompejum exstitisse, huncque ab illo debellatum esse. Certitudo vero rationalis est, qua Criteriorum veritatis sufficientia ex ratione colligitur; estque vel *philosophica*, vel *mathematica*, prout Criteria veritatis sufficientia vel *discursive*, id est per Conceptus, vel *intuitive*, id est per Intuitus cognoscuntur; e. g. Certitudine rationali, et quidem philosophica scio animam esse immortalem, mathematica vero omnes angulos in Triangulo aequari duobus rectis.

c) *Pro diversitate Modi*, quo cognitio vera esse intelligitur, Certitudo vel est *immediata*, vel *mediata*, prout veritatem cognitionum vel *immediate*, id est nulla alia cognitione interveniente, vel *mediate*, id est cum interventu alterius cognitionis, per legitimam demonstrationem, sufficienter perspicimus; e. g. immediate certus sum de existentia animae meae, mediate vero de existentia Dei.

Nota. a) Inter Certitudinem *absolutam* et *hypotheticam* istud discrimen intercedit, quod ea imbutus distincte intelligat, oppositum cogitari nulla ratione posse, hanc vero habens, oppositum prudenter cogitari non posse, perspiciat; illa proinde omne prorsus, ista vero omne prudens dubium excludit, haec trahit, illa compellit ad assentiendum.

b) Quod ad humanum Intellectum attinet, hic quamlibet Certitudinis speciem pari aestimatione arripit, et cuilibet cognitioni certae plenum assensum praebet; adeoque Certitudo *apodictica*, vel *ordinaria*, *philosophica*, vel *mathematica*, non assensus firmitate et causis, sed

objectorum indole, et ad animum relatione differunt. — Sane quilibet veri amans tria haec Judicia pro aeque veris habet: 1. *Totum est majus sua parte* (apodictice certum); 2. *Ignis accendit Corpora inflammabilia* (physice certum); 3. *S. Stephanus Rex primus praefuit Hungariae, nunc Franciscus eidem praeest* (moraliter certum).

c) Multi Certitudinem *moralem* et *physicam* recte appellant *humanam*, id est hominum indigentiis satis accomodatam: apodictica enim Certitudo eorum vires plerumque superat vel ob absentiam Objecti, vel ob limitationem Subjecti, et utraque illa cuilibet Intellectui satisfacit, hominumque felicitati sufficienter consulit, ut hoc uberius exponemus in Metaphysica. *cf. Bergier Abhandlung von Gewissheit L. IV. pag.* 413.

§. 53.

Evidentia in Genere.

Inter Cognitiones certas aliquae adnexam habent singularem quampiam claritatem, et distinctionem, qua veritatem earundem mens ita perspicit, ut illam quasi oculis intueatur; tales cognitiones dicuntur, singulari nomine, *evidentes*, vel *perspicuae*, ipse autem status mentis, in quo sufficientiam rationum veritatis tanta claritate cognoscit, *Evidentia*, vel *Perspicuitas* audit; ita v. g. *evidens est*, $2 \times 2 = 4$.

Evidentia haec vel est *immediata*, vel *mediata*; illa ex sensu intimo, vel e sola termino-

rum apprehensione, haec vero per legitimam demonstrationem oritur. *Ita immediate evidenter cognosco, me gaudere, tristari etc. circulum esse rotundum; mediate vero Animam humanam esse liberam, et immortalem.*

Nota. Kantiani solam *Certitudinem mathematicam Evidentiae* nomine dignantur; alii ex opposito *Evidentiae* nomen latius extendentes, Evidentiam *internam* et *externam* distinguunt; illam de rebus possibilibus, aut intra nos existentibus, hanc vero de objectis extra nos positis dari contendunt; imo sicut Certitudinem in genere, Evidentiam quoque in *metaphysicam, physicam,* et *moralem* distribuunt. *Cf. P. Henr. Walser Log. p.* 111.

§. 54.

Evidentia mediata in Specie.

Veritas cognitionum immediate non elucens mediantibus aliis cognitionibus erui, seu *probari*, vel *demonstrari* debet. Quare sit

1.) Notio Demonstrationis.

Demonstrare in genere idem est, ac cognitionis cujusdam veritatem ex notis jam aliis veritatibus deducere; proinde *Demonstratio v. Argumentatio* est talis rationis functio, qua co-

gnitionis nostrae veritatem ex aliis notis inferimus; e. g. si quis cognitionem hanc suam „Logica est utilis," veram esse, hoc modo inferret, „Scientia quaevis est utilis, sed Logica est scientia, ergo est utilis," demonstrare diceretur. Unde mox patet, Demonstrationem quamvis Ratiocinio absolvi, per hoc constrni, et ad hoc, ceu modellam, exigendam esse, adeoque ita habere suam *formam* et *materiam*, sicut istud.

Materiam Demonstrationis constituunt judicia in ipsa occurrentia, *formam* vero modus ille, quo judicia haec in demonstrationem componuntur. Hinc

Ad *Materiam* Demonstrationis pertinent: a) *Objectum demonstrationis*, seu quod demonstrari debet, e. g. animae immortalitas, b.) Argumenta s. Fundamenta v. Principia Demonstrationis, ex quibus quidpiam demonstratur, e. g. pro immortalitate animae ejusdem simplicitas; haec praemissa efficiunt, illud conclusionem, quia objectum e praemissis necessario debet fluere.

Sicut igitur nullum Ratiocinium absque praemissis, ita nulla Demonstratio absque Principiis fieri potest; e quibus, si plura suppetant, illud, quod praecipuam vim demonstrandi habet, *Nervus Demonstrationis* dicitur.

2) Principia Demonstrationis.

Principia demonstrandi 1-o) vel sunt *absolute suprema*, vel tantum *relative* talia, prout vel absolute ultimam totius, de qua agitur, scientiae basim constituunt, atque ex nullo alio principio derivari possunt; vel nonnisi peculiaris alicujus cognitionis fundamenta, atque altiori

adhuc principio subordinata sunt. 2-o) Utraque sunt vel *theoretica*, vel *practica*, prout vel theoreticarum vel practicarum cognitionum fontes existunt; e. g. „Nihil est sine ratione sufficiente," est principium theoreticum; istud vero „Sequere dictamen rationis." est principium practicum. 3-o) Propositio theoretica indemonstrabilis vocatur Axioma e. g. totum est majus sua parte. Propositio vero practica indemonstrabilis dicitur *Postulatum*, e. g. ex uno puncto ad aliud linea duci potest. 4-o) Propositio theoretica demonstrabilis dicitur *Theorema*, propositio vero practica demonstrabilis vocatur *Problema.* 5-o) Nonnunquam ad propositionem aliquam demonstrandam assumitur quaepiam alia, cujus veritas jam alibi evicta supponitur, talis propositio appellatur *Lemma*; e. g. propositio haec „anima humana est libera," e Psychologia ut vera assumta, in philosophia practica est Lemma. 6-o) Propositio, quae immediatas sequelas propositionis jam demonstratae exhibet, *Corrollarium*, *Consectarium v. Porisma* audit; e. g. ex hac propositione „Pietas est ad omnia utilis," fluit istud Corollarium „Pietas ad proficiendum in Studiis est utilis." Denique 7-o) Propositio talis, quae aliis demonstratis majoris perspicuitatis obtinendae gratia adjici solet, *Scholion* dicitur.

Nota. a) Vocabulum *Principii* hic non in eo sensu lato sumitur (quo generatim qualecunque *Initium significat*, et causam quamvis efficientem ceu *Principium reale* sub se comprehendit), sed pro fundamentali aliqua propositione (Grundsatz), ex qua aliae deduci et intelligi possunt.

b) Principia haec *idealia* solent vocari relate ad Principia *realia*; quia distinctam ab entibus cogitanti-

bus, cognoscentibus et agentibus existentiam non habent, sed his solum inhaerent, qua cogitationes, cognitiones, et regulae.

c) Principia idealia si materiam dent scientiis, *materialia*, si formam, *formalia* vocantur; et haec *regulativa*, illa *constitutiva* etiam audiunt.

d) *An absolute suprema Principia cognitionum dentur, utrum omnia ad unum possint revocari, nec ne?* has et similes quaestiones *Metaphysica* solvet.

e) Kant etsi *Postulatum* recte dicat esse propositionem *practicam* immediate evidentem *Logik.* §. 38. tamen propositiones has theoreticas maximi momenti, „existit Deus, anima humana est libera et immortalis" appellat mera *Postulata* rationis practicae.

f) *Problema* hic definitum sensu mathematico est sumtum, adeoque nimis stricto; sensu namque lato Problema denotat qualemcunque quaestionem in quacunque scientia fine resolutionis propositam, uti e. g. *noscimus ne essentiam entium? Quid est Lux? quot sunt elementa corporum? etc.*

Kantiani, *Postulata* Mathematicis propria, applicant ad cognitiones Theoreticas summi momenti, *existentiae Dei, Libertatis, et Immortalitatis animorum;* quas, cum secundum sua Principia, e ratione Theoretica demonstrari non posse, assumi tamen debere ut veras contenderent propter necessitates nostras morales, *Postulata rationis practicae appellarunt. cf. Herders Metakritik T. II. p.* 326.

3.) Divisio Demonstrationis.

a) Demonstratio vel *late*, vel *stricte* sumitur. Demonstratio *late sumta* est, quae pro-

positionis cujusdam veritatem ex principio aliquo immediate non evidente, sed adhuc demonstrabili deducit: unde etiam *Probatio* dicitur. — Demonstratio vero *stricte sumta* est, qua propositionis cujusdam veritatem ex principio quopiam immediate evidente eruimus.

b) Utraque vel est a *priori*, vel *a posteriori*. — Demonstratio *a priori* est, quae fit per principia, ex propositionibus universalibus et necessariis sumta. Demonstratio vero *a posteriori* est, quae fit per principia ex experientia desumta.

Tales demonstrationes frequentissime occurrunt in Physica, Oeconomia, Historia Naturae, Medica, imo non raro etiam in Metaphysica: prior autem in Mathesi et Philosophia.

c) Demonstratio vel est *analytica*, vel *synthetica*. Illa est, quae propositionem demonstrandam ad principia reducit, seu quae propositionis demonstrandae eousque rationes reddit, donec sufficienter sit probata; hinc etiam *regressiva* dicitur. Demonstratio vero *synthetica* est, quae ab universalibus principiis egrediens, ad ipsam propositionem demonstrandam progreditur; hinc etiam *progressiva* appellatur; e. g. si quis propositionem hanc „Ebriosus est Suicida" vellet demonstrare, analytice sic posset procedere: „Qui sibi vitam abbreviat est Suicida, sed ebriosus sibi vitam abbreviat, ergo est Suicida. Probatur minor: qui morbos sibi adsciscit, vitam abbreviat, sed ebriosus morbos sibi adsciscit, ergo vitam abbreviat. Probatur minor: qui nervos debilitat, morbos sibi adsciscit, sed ebriosus nervos debilitat, ergo morbos sibi adsciscit. Probatur minor: qui nervos nimium intendit, eosdem debilitat, sed ebriosus nervos nimium intendit; ergo ebriosus eosdem debilitat, consequenter Sui-

cida est." Synthetice vero e contrario sic: „Qui ebriosus est, nervos nimium intendit, qui nervos nimium intendit, eosdem debilitat, qui nervos debilitat, se morbis implicat, qui se morbis implicat, vitam abbreviat, qui vitam abbreviat, est suicida; ergo ebriosus est suicida."

d) Demonstratio vel est *directa*, vel *indirecta*: illa est, quae propositionis veritatem ex principiis immediate colligit, seu quae ex ipsa notione subjecti evincit convenientiam praedicati; unde etiam *apodictica*, vel *ostensiva* audit. e. g. „Ens necessarium est aeternum, sed Deus est ens necessarium, ergo Deus est aeternus"; haec vero est, quae e falsitate oppositae propositionis arguit propositionis demonstrandae veritatem; unde etiam *apogogica*, vel *deductio ad absurdum* dicitur. — E. g. „Deus est aeternus; si enim non esset aeternus, esset aut finitus aut nullus, sed utrumque est absurdum, ergo Deus est aeternus." — Demonstratio directa principio rationis sufficientis, Demonstratio vero indirecta principio exclusi medii superstruitur.

e) Demonstratio vel est *simplex*, vel *composita*; illa est, quae una, haec vero, quae pluribus argumentationibus absolvitur: utraque vel est *ordinaria*, vel *non-ordinaria*, prout Ratiociniis perfectis, vel imperfectis constiterit; huc pertinet etiam Demonstratio *primaria*, et *secundaria* s. *auxiliaris* et *confirmatoria*.

4) Leges Demonstrationis.

Cum Demonstratio quaevis Ratiocinium sit, Ratiociniisque peragatur; ut legitima sit, debet carere tum *vitio Formae*, tum *vitio Ma-*

teriae, seu generatim „*ex recte sumtis recte concludere*;" sunt tamen etiam quaepiam speciales Leges Demonstrationis legitimae.

Lex I. Status quaestionis accurate determinetur, quod recta Definitione, Divisione, Con-et Sub-divisione obtinebitur.

Lex II. Principia Demonstrationis omnia sint certa, et propositione demonstranda notiora; secus veritate non elucente, demonstratio fine suo destituetur.

Lex III. Demonstratio sit *continua*, id est, nihil eorum praetermittatur, quae ad legitimam conclusionem sunt necessaria, neque ex una praemissa descendatur ad aliam, quae cum illa non connectitur; nisi forte praemissa aliqua mente retenta facile subintelligi queat.

Lex IV. Demonstratio non sit *accumulata*, id est, plura sine necessitate argumenta non conglomerentur; universim enim plures probationes, praeterquam quod inutiles sint, si una sufficiat, veritatem ipsam suspectam reddunt, alterumque ita obruunt, ut vim earum perspicere non valeat.

Lex V. Illa, quae per se nota sunt, aut demonstratu indigna, demonstrari non debent; nisi pertinax adversarius indirecte esset convincendus, aut in gratiam tironum ea, quae per se nota sunt, dilucidari deberent.

Lex VI. Si directa demonstratio praesto est, abstineatur ab indirecta; haec enim cogit quidem intellectum ad assentiendum veritati, sed ita, prout illa, non docet, neque tanta claritate mentem illustrat.

Nota. a) Saepius assumi solent quaepiam in se falsa, quae tamen is, cum quo rem habemus, pro veris habet, et ex talibus veritas Propositionis nostrae infertur: hoc

genus demonstrandi *Argumentatio ad hominem* dicitur, adhibeturque tunc, dum adversarius est nimium pertinax; e. g. *Si Christianus Mahomedanum Veritatem Religionis Christianae ex ejus Alcorano doceret, uteretur argumento ad hominem.*

b) Etsi Demonstratio directa praeferenda sit indirectae, ad evitandum tamen errorem aptior est haec, quam illa; demonstratio enim indirecta si vel unicam falsam sequelam oppositae propositionis exhibeat, jam satisfacit; ubi e contra Demonstratio directa pro Veritate omnium sequelarum propositiouis domonstrandae stare debet.

c) Etsi demonstratio *accumulata* esse non debeat; possunt tamen pro una eademque veritate sub diversis respectibus e diversis principiis plures Demonstrationes institui, quae ideo *coordinatae* vocantur, et si, ut oportet, mutuo se firment, majorem convictionem pariunt, quam unico argumento constans Demonstratio; *tales coordinatae Demonstrationes sunt v. g. in Metaphysica pro existentia Dei argumentum ontologicum, cosmicum, physicum, et morale.* Ita etiam

Utiliter demonstratur saepe aliqua veritas et *a priori*, et a *posteriori*; e. g. in Pkysica id, quod experientia intuitive docet, ex universalibus rationis legibus, aut in Metaphysica, quod rationis principia proponunt, e datis experientiae confirmando.

e) Quia non omnes Demonstrationes superstruuntur evidentibus principiis, neque semper fluunt legitimae conclusiones ex veris praemissis; hinc *collisio* Demonstrationum empiricarum inter se, aut cnm rationalibus est possibilis, sed inter legitimas, et puras nunquam. Sicut enim contradictorium foret legitimam conclusionem adeoque veram et falsam esse: ita ratio semet ipsam annihilaret, si ita oppositis legibus subjecta existeret, ut ex ipsis contradictoriae conclusiones fieri possent; *antinomiae*

itaque et *paralogismi*, per Kantium primo in Philosophiam inducti, non rationis purae sunt, sed aut male institutarum experientiarum, aut precario assumtorum principiorum, aut non rite adhibitarum legum rationis resultata contradictoria, et illusoria; id quod uberius videbimus in Metaphysica.

f) Demonstratio s. *argumentatio ad hominem* (κατ' ἄνθρωπον) alias *ex concessis*, etsi non sit stricta Demonstratio *scientifica* (κατ' ἀλήθειαν), quae semper objective vero principio debet inniti, magni tamen et laudabilis usus est, si non ad innocentes seducendos et corrumpendos, sed ad pertinaces reducendos et emendandos adhibeatur!

5) Vitia Demonstrationis, et Abusus.

Saepius adest Demonstratio, quae veritatem quidem mentitur, sed aliquo occulto vitio laborat, talis demonstratio vocatur *fallax*, vel *vitiosa*; et quidem vel *Paralogismus*, vel *Sophisma*, prout argumentans fallaci sua argumentatione se ipsum, vel alios decipit. — Utriusque istae solent praecipuae numerari species:

a) *Aequivocatio*, *Amphibologia*, *Mutatio suppositi*, verbo omnia vitia, quibus contra Leges Syllogismorum peccatur. — Hinc

b) *Fallacia Compositionis*; quae tunc committitur, dum termini, qui in praemissis sumebantur in sensu diviso, in conclusione sumuntur in sensu composito, sicque in Syllogismum quartus terminus ingeritur; e. g. „Qui nulla lege prohibetur loqui, potest loqui, sed qui tacet, nulla lege prohibetur loqui; ergo qui tacet, potest una loqui.“

c) *Fallacia Divisionis;* quae tunc admittitur, dum termini in praemissis in sensu composito sumti in conclusione sumuntur in sensu diviso; vel, cum terminus in conclusione latius patet, quam in praemissis; e. g. „Nemo potest sedens ambulare, sed ego sedeo, ergo non possum ambulare," „Homo non est animal, sed femina est animal, ergo femina non est homo."

d) *Fallacia Accidentis*; quae tunc committitur, dum praedicatum subjecto necessario tribuitur, quod ipsi contingenter tantum convenit; e. g. „Quidquid ad impietatem ducit, est perniciosum, sed Philosophia ad impietatem ducit, ergo est perniciosa."

e) *Fallacia Consequentis*; quae tunc admittitur, dum ex praemissis quidpiam deducitur, quod inde haud fluit; e. g „Wolfius est in exilium missus, ergo Philosophia Wolfiana est exitiosa."

f) *Petitio Principii*; quae tunc committitur, dum id, ex quo aliquid probatur, ita indiget probatione, prout id quod probatur, ut adeo peti possit principium, cui veritas assumti principii innititur? e. g. si quis cum Aristotele ita argumentaretur: „Gravia omnia tendunt versus centrum universi, sed gravia omnia tendunt versus terram, ergo terra est centrum universi," committeret petitionem principii; ita etiam in toto systemate Fichteiano et Schellingiano Petitio Principii est adaequata cognitio Absoluti per intellectualem Intuitum

g) *Circulus vitiosus*; qui tunc committitur, cum idem per idem probatur unde etiam *Orbis in demonstrando* appellatur; e. g. si quis existentiam Dei probaret ex existentia divinae Revelationis, et hanc iterum ex existentia Dei, Circulum vitiosum committeret.

h) *Ignoratio vel Mutatio Elenchi*; quae tunc committitur, dum aliud, quam probandum fuerat, probatur; seu dum a quaestione quoquo modo disceditur; e. g. si quis volens demonstrare, terram moveri circa solem, probaret, Lunam esse satellitem terrae, admitteret Ignorationem Elenchi.

i) *Argumentum plus, vel minus probans;* quod tunc committitur, si aut tantum probetur, ut etiam alterius propositionis, quam et ipsi pro falsa habemus, veritas legitime fluat, aut si propositio assumta incomplete tantum demonstretur; e. g. si quis suicidium esse illicitum inde probaret, quod nemo sibi vitam dederit; hinc, quia sequeretur, nec animalia quidem licere occidere, nimium probaret, proinde, ut dici solet, nihil probaret: si vero Instituti cujusdam bonitas ex existentia ejus in aliis locis probaretur, minus probaretur.

k) *Saltus in probando;* qui tunc committitur, dum ex una praemissa transitus fit ad aliam quae cum illa non connectitur, nec facile subintelligi potest; e. g. si quis ex eo, quod Virtus hominem felicem reddat, inferret, Philosophum esse felicem, committeret Saltum in probando.

Demonstrationibus vero *abutuntur* non modo illi, qui nihil, nisi a principio supremo deductum, ut verum admittere vel legitime demonstratis non aeque, ac per se, seu immediate evidentibus acquiescere volunt, vel ubique, quoad ipsas etiam immediate evidentes veritates, demonstrationes stricte dictas a priori exigunt; sed etiam illi, qui vel demonstrationibus majorem vim tribuunt ad commovendum et tenendum assensum, quam aliis probationibus, vel perspicuitatem soliditati praeferunt, vel subtilitatem populari Intelligentiae adversam et fucatam sectantur; vel

denique, qui non errores, sed personas, hasque non argumentis, sed clamoribus, convitiis, aliisque artibus, et fraudibus petunt.

Nota. a) Praeter enumeratas hic species Sophismatum antiqui *Megarici* haec adhuc procuderunt: *mentiens*, *occultus*, *electra*, *velatus*, *acervalis*, *cornutus*, *calvus*, quae pleraque ab argumento sophismatis nomen acceperunt, et quam miserae fuerint captiones et cavillationes antiquorum *Sophistarum*, luculenter produnt. *V. Bruckeri Hist. Crit. Phil. de Secta Megarica*, *et Bachmann's System der Logik.* §. 380. 382.

b) Solutio vero ipsorum ex hucusque dictis non magnae difficultati subjacet; dummodo a.) protestatio fiat contra illam sophisticam legem „ad quaestiones captiosas per solum *ita* aut *non* responde!" eo dicto, quod in scientiis nullus possit pro arbitrio limitare libertatem cogitandi, et quod cuilibet jus sit id respondendi, quod ipsi optimum videtur; b) cum sophisma fallax ratiocinatio sit, reducatur ad aliquam speciem ratiocinii, et ad hujus leges exigatur; c) bene teneatur significatio vocum ejus lingvae, in qua sophisma formatur; tandem d.) comparetur sufficiens cognitio eorum, quae ad ipsam materiam sophismatum dijudicandam pertinent.

§. 55.

Hypotheses.

Saepe in defectu Principiorum quidpiam tamquam verum assumitur, aliarum cognitionum explicandarum et derivandarum gratia, quod tamen necdum evictum est; dum hoc fit, *Hypothesi*

uti

uti dicimur. — Est proinde *Hypothesis* Propositio problematica, quae in defectu Principiorum assumitur tamquam ratio eorum, quae explicanda sunt; cum autem id, quod manifeste absurdum est, pro vero sumi nequeat, et Hypothesis tunc tantum locum habeat, quando quaepiam explicanda sunt, quorum certa ratio praesto non est; hinc omnis Hypothesis his Legibus subjicitur:

Lex I. Nihil manifeste absurdi, aut falsi assumatur; secus Hypothesis *Figmentum* erit, et *Chimaera*, seu lusus imaginationis, nulla experientia, nulla ratione suffultus. *Qualis est* e. g. Horatii mulier in piscem desinens, et alia figmenta Poëtarum.

Lex II. Hypothesis talis sit, ut ex ea nihil falsi possit deduci, et notis naturae legibus non repugnet.

Lex III. Omnibus iis, quorum explicandorum causa assumitur, clare, et commode explicandis sufficiat, adeoque nimis composita non sit; principia enim non sunt multiplicanda absque necessitate, et unitas in pluralitate, simplicitas in innumera combinatione est naturae triumphus.

Lex IV. Illis, quae ex Hypothesi quapiam deducuntur, non plus ponderis tribuatur, quam ipsi Hypothesi inest.

Lex V. Si deprehendatur, quod Hypohesis unica tantum ratio sit quidpiam explicandi, cessat esse *Hypothesis*, sed erit *Thesis*, id est Propositio *assertoria*; id quod tamen probatu difficillimum esse, per se patet:

Nota. Non omnes Scientiae admittunt Hypotheses e. g. *Mathesis*, *Metaphysica*, *Moralis*. — In *Physica* praecipuus est earum usus, imo etiam necessitas; inserviunt enim hic ad explicanda Naturae phaenomena, et

nullum nocivum effectum habent. *V. meam Illust. Logicam p.* 261.

§. 56.

Effectus Omnis Certitudinis.

Effectus omnis Certitudinis duos numeramus: *Scientiam* et *Fidem.* Nempe Rationes sufficientes veri vel tales sunt, quas ipsi e natura objecti cogitati, qualicunque demum via, eruimus; vel tales, quas ob auctoritatem aliorum assumimus; primi generis rationes generant in nobis *Scientiam*, alterius vero generis pariunt *Fidem.*

Quid quid proinde e sensu interno, vel externo, aut ex ratione per legitimam Demonstrationem ipsi sufficienter intelligimus, *scimus*: quid quid e contra, ipsi seu ex experientia propria, seu ex ratione cognoscere non valentes, ex aliorum solum testimoniis discimus, hoc proprie *credere* dicimur, et Fides haec nostra *rationalis* est, ut primum de *Fide-dignitate testium* (de qua infra agemus) nobis sufficienter constiterit; distingviturque haec a Fide *coeca*, quae nullis rationibus nititur, et a Fide *irrationali*, cujus contrarium constat, aut saltem pro cujus contrario multae verae rationes pugnant. E. g. credo, non scio, Romam, quam nunquam vidi, existere. Scio, non credo, Pesthini, quod inhabito, Universitatem scientiarum dari. Scio, et credo Deum existere, Animam meam esse immortalem, etc.

Nota. Recentiores post Kantium (*Cf. Critic. Rat. pur. pag.* 848.—) longe aliam dant *notionem Scientiae et Fidei.* — *Scientiam* nempe dicunt esse assensum Judicio alicui praestitum ex rationibus *subjective et objective sufficientibus; Fidem* vero assensum Judicio cuipiam praestitum ex rationibus *subjective* solum *sufficientibus:* illam deinde, conformiter suis principiis, ad *intuitive et apodictice* certa unice restringunt; omnia vero reliqua objecta fidei esse contendunt, contra usum receptum loquendi, et in dispendium praesentantissimarum doctrinarum; ut hoc fusius videbimus in Metaphysica. *Cf. Miotti über die Falschheit des Kantisch. Syst. pag.* 325.

Porro Fidem dividunt in *necessariam*, et *contingentem:* illam dicunt esse assensum veritati alicui, quae ex rationibus objectivis a nemine deduci potest, ceu medio unico praestitum, *finem* quemdam *necessarium* obtinendi, qui finis si ab ipsa ratione statuatur, fides *necessaria rationalis*, et si circa Naturae rationalis Moralitatem versetur, Fides *moralis* in specie dicitur; *tali fide asserunt nos tantum certos esse de existentia Dei, Libertate, et Immortalitate animarum.* — Quod si vero *Finis* aliquis *contingens* adsit, et unico tantum, quantum nos eo, quo agendum est, temporis momento intelligimus, modo obtineri queat, docent oriri fidem *contingentem.* — Hanc iterum in *pragmaticam*, et *doctrinalem* subdividunt, prout aliquid, vel ideo tantum creditur, ut regulae prudentiae serventur, vel ut cognitio aliqua acquiratur: ac ita tandem superaddunt Fidem sic dictam *historicam*, seu assensum aliorum testimoniis praestitum. *V. Bachmann's System der Logik.* §. 394 — 400.

CAPUT II.

De Incertitudine Cognitionum.

§. 57.

Notio Incertitudinis, et Divisio.

Cognitio *incerta* illa dicitur, quae nititur quidem rationibus veritatis, sed non sufficientibus, unde etiam *Opinio* dicitur, et assensus, qui ipsi praestatur, *Persvasio* appellatur; e. g. Si quis Cajum diceret furem, mea cognitio, innixa hujus unius hominis testimonio, haberet rationem suae veritatis non sufficientem (fallibilem) ac proinde esset incerta: hinc Incertitudo est ille status mentis, in quo Criteriorum Veritatis sufficientiam distincte non intelligimus; et *opinari* generatim tunc dicimur, cum judicium nostrum adhuc tantum est *problematicum*, id est cum necdum certi sumus, sed res versatur in quaestione.

Opinio vel est *probabilis*, vel *dubia*, vel *improbabilis*. — Opinio *probabilis* est, pró cujus veritate plures adsunt rationes, quam pro falsitate. Opinio *dubia* est, pro cujus veritate totidem rationes militant, quot pro falsitate. Opi-

nio *improbabilis* est, pro cujus veritate pauciores adsunt rationes, quam pro falsitate; e. g. cognitio haec mea „Cajus est homicida,“ probabilis erit, si quinque testes asserant Cajum esse homicidam, et alii tres id negent; dubia, si tres testes affirment Cajum esse homicidam, et alii tres aeque boni idem negent; improbabilis denique erit, si tres testes asserant Cajum esse homicidam, alii vero quinque idem negent.

Hinc tres sunt etiam species Incertitudinis, *Probabilitas*, *Dubium*, et *Improbabilitas*. — *Probabilitas* est ille status mentis, in quo rationes veritatis plures adesse intelliguntur, quam falsitatis. *Dubium* est ille status mentis, in quo rationes veritatis totidem habemus, quot falsitatis. *Improbabilitas* denique est ille status mentis, in quo pro falsitate cognitionis plures rationes pugnant, quam pro veritate.

Probabilitas in proximo ad Certitudinem accessu, seu dum rationes veri rarissime fallunt, appellatur *Verisimilitudo*, estque vel *mathematica*, vel *philosophica*. *Mathematica v. quantitativa* est, cujus rationes, qua *homogeneae*, id est ejusdem valoris, numerari possunt: *philosophica* vero *v. qualitativa* est, cujus rationes, qua *heterogeneae*, id est diversi valoris, tantum quoad vim suam ponderari possunt; unde illa etiam *objectiva*, vel *realis*; haec vero *subjectiva*, vel *logica* dici solet.

Utraque subdividitur in *absolutam*, et *relativam*. Probabilitas *absoluta* tunc adest, dum cognitio aliqua in se jam spectata multis, et gravibus rationibus veri nititur. Probabilitas vero *relativa* est, dum cognitio aliqua cum alia comparata, hanc rationum numero, vel pondere superat. — Idem censendum est etiam de Improbabilitate.

Dubium vel est *objectivum*, vel *subjectivum*; illud e natura objecti cogniti, istud vero e limitatione subjecti cognoscentis, e. g. e defectu debitae culturae Intellectus, desumitur. Dubium objectivum, in quantum aliorum assertis opponitur, *Objectio:* subjectivum vero, quatenus quis ex eo se expedire non valet, *Scrupulus* appellatur. — Dubium eo fine formatum, ut Veritas, aut saltem Verisimilitudo detegatur, et roboretur, *methodicum*, *criticum*, vel *sobrium* appellatur, ut distingvatur a Dubio *sceptico*, quod praecise Veritatem infirmandi, et convellendi gratia instituitur; illud, tamquam praecipuum medium errores evitandi, supra jam commendavimus; istud vero vel ex hoc capite hic jam merito condemnamus, quod sibi ipsi contradicat; intendit quippe cognitionem per hoc, quod nulla cognitio sit possibilis.

§. 58.

Gradus Probabilitatis, et horum determinandorum Leges.

Cum Opinio probabilis in genere dicatur, quae etsi non sufficientibus, gravibus tamen, et multis nititur veritatis suae rationibus, rationes autem hae numero, et pondere a se differre, et sic Opinio quoque iisdem suffulta ad Certitudinem magis, minusque accedere queat; per se patet diversos occurrere posse Probabilitatis Gradus, ex quibus Verisimilitudo maxi-

mus est. — Idem intelligendum est etiam de Improbabilitate ita, ut hujus maximus gradus sit in proximo ad Ignorantiam accessu, ubi, propter defectum fere omnium veritatis rationum, sola possibilitas rei colligitur.

Determinatur vero Gradus Probabilitatis juxta sequentes Leges:

Lex I. pro Probabilitate absoluta. — Numerentur, et ponderentur rationes, quae pro aliqua Opinione adsunt; quo plures et graviores fuerint inventae, eo major erit Opinionis illius Probabilitas; contra, quo pauciores, et leviores fuerint rationes, eo minor erit ejusdem Probabilitas; e. g. Opinio haec mea „Cajus est homicida," eo est probabilior, quo plures, et majoris auctoritatis Cajum accusant testes: e contra quo pauciores, et minus graves adfuerint testes, opinionis etiam meae eo minor erit Probabilitas.

Lex II. pro Probabilitate relativa. — Conferatur Opinio una cum altera, et quaeratur, num rationes unius plures sint, et graviores, quam alterius? si compertum fuerit, pro una plures, et graviores adesse rationes, quam pro alia, illa majorem habebit probabilitatem, quam haec altera; e. g. si pro innocentia Caji adsint tres testes, pro scelere vero ejusdem sex alii, aeque idonei, longe major est probabilitas hujus opinionis, „Cajus est homicida, "quam oppositae, Cajus non est homicida;" nam si rationes hujus ab illius rationibus subtrahantur, penitus elidentur, et pro primae Opinionis veritate adhuc tres rationes, seu testes remanebunt.

Lex III. pro Probabilitate mathematica. —Gradus Probabilitatis mathematicae ad calculum revocari potest, hoc modo: Certitudo spectetur ut unitas, rationes vero, quibus probabilitas constituitur, numerentur ut homogeneae hujus

unitatis partes, ita innotescet, eo majorem generatim fore Probabilitatem, quo plures ejusmodi rationes adfuerint; e. g. requirantur triginta observationes Phaenomeni, quod ingruente pluvia Mercurius in Barometro descenderit, donec certo dici possit, descensum Mercurii in Barometro pluviae praenuncium esse, atque nonnisi viginti observationes id ipsum confirmasse supponantur; probabilitas praedictae Opinionis in hoc casu ita se habebit ad Certitudinem; sicut viginti, ad triginta, id est: Probabilitas erit$=\frac{2}{3}$ Certitudinis.

Lex IV. *pro Probabilitate philosophica.* — Probabilitatis philosophicae gradus calculo determinari nequeunt; cum enim ejus rationes homogeneae non sint, sed heterogeneae, ponderari tantum possunt, comparatione instituta, non autem numerari. Quod negotium quia non omnium, sed tantum paucorum est, hoc sensu bene statuitur: *universalem Probabilium Logicam* non dari V. *meam Logicam hungar.* *p.* 269. 270.

Nota. Ex his intelligere est: 1-mo Gradum quemlibet Probabilitatis commode exhiberi posse per fractionem, cujus denominator numerum rationum ad certitudinem habendam necessarium exprimat, numerator autem rationes probabilitatis, quae actu dantur, exhibeat; hancque fore eo majorem, quo major fuerit numerator, manente denominatore. 2-o) Numeratorem dimidio denominatore semper debere esse majorem, ut opinio sit vere probabilis. 3-o) Improbabilem fore Opinionem, si Numerator dimidio denominatore minor fuerit. 4-o) Si vero numerator fuerit dimidium denominatoris, Dubio locus erit. (*exempla coram.*)

§. 59.

Usus Opinionum.

Usus Opinionum nimis late patet; praeterquam enim, quod cognitiones nostrae pleraeque primum sint opiniones, et serius tantum, evoluta jam ratione, cognitiones certae evadant: Opinionibus imprimis probabilibus reguntur homines in re medica, politica, militari, oeconomica, et in gravissimis aliis vitae quotidianae negotiis, in quibus Certitudinem non assecuti, in Verisimilitudine, tamquam in loco veritati vicino, securi conquiescunt. — Multum proinde interest scire: *an, quomodo, et quando utendum sit Opinionibus?* — Imprimis

a) *Opinioni probabili* prudenter assentiri possumus in omnibus iis casibus, in quibus Certitudo haberi non potest; Opinio enim probabilis, etsi insufficientia, multa tamen, et gravia habet pro se rationum momenta, gravibus autem, et multis rationibus citra notam imprudentiae possumus deferre; igitur deficiente Certitudine, probabilibus acquiescere universim licet; antequam tamen id contingat, sedulo inquirendum est, an non aliqua ratione Certitudo haberi possit?

b) *Opinioni dubiae* assensus dari non potest, sed suspendendum est judicium eousque, donec novae pro alterutra parte rationes detegantur, sicque sublato dubio, certitudo, aut saltem probabilitas obtineatur; cum enim in statu

dubii rationes oppositae sint aequales, se seque mutuo elidant, nullum amplius aderit argumentum, quo mens nostra nitatur, et si tamen assentiretur, absque omni ratione id faceret, gravissimoque errandi periculo se exponeret: ideoque in dubio semper ulterior inquisitio rationum est instituenda; e. g. si Cajus adductus in judicium accusetur homicidii a tribus testibus, paulo post autem supervenientes tres testes, aeque idonci, contrarium dicant, in hoc casu, cum aequales sint rationes et pro scelere, et pro innocentia Caji, Judex non potest ferre sententiam seu pro scelere, seu pro innocentia ejusdem; quia utrique judicio tres alii testes obstant, debet proinde suspendere judicium, donec certiora invenerit.

c)Quod vero *Opinionem improbabilem* attinet, huic prudenter nunquam est assentiendum; habet enim pro se leves quaspiam rationes, hasque tales, quae per oppositae opinionis rationes eliduntur, et sic pro opinione improbabili eo ipso nullum argumentum remanebit, agetque imprudenter, si quis ipsi tamen assentiatur: e. g. si quis ad Lotteriam nonaginta numerorum duos tantum numeros ponens, hoc judicium ferret; „ego tangam numerum primo extrahendum," huic opinioni obstarent octoginta octo alii numeri, qui exiguam illam spem duorum numerorum penitus elidunt, et sic, qui tali opinioni assentiretur, ageret omnino imprudenter.

Nota. a) Quam improbabilis sit spes lucri ex lusu Lotteriarum, quamque imprudenter agant illi, qui tali sorte ditari volentes, et exiguam, quam habent, rem tantae incertitudini committunt! calculo mathematico

proponit *Fejér Log. pag.* 302. — *Cf. Steinbach Anleitung des Verstandes zum regelmässigen Selbstdenken. 3. Aufl. pag.* 305. *et meam hung. Logicam l. s. c.*

b) Haec de Incertudine dixisse sufficiat; cetera enim quae ab aliis, praecipue antiquioribus, hic loci adferri solent, aut parvi usus sunt, aut ad alias peculiares scientias pertinent, aut in Philosophia practica proponuntur.

SECTIO QUARTA

de

Perfectione Cognitionum ratione Quantitatis.

Cognitiones nostrae *ratione Quantitatis* perfectae sunt scientifice, si sint *amplae:* amplae vero erunt, si tot, et tanta objecta cognoscamus, quot, et quantorum per naturam finitam, finesque nostros capaces sumus; hinc respectu virium, et finium nostrorum, quae et quales nobis sint comparandae cognitiones, item quibus modis comparentur, seu amplientur cognitiones? hic loci determinandum est.

CAPUT I.

De Horizonte Cognitionum.

§. 60.

Horizon Cognitionum in Genere, et ejus Determinatio.

Horizon Cognitionis est congruentia quantitatis cognitionum hominis cum ejus facultatibus, et finibus; seu determinatio ejus, quod homo scire potest, ac debet, et ab eo separatio,

quod universim sciri nequit, aut saltem non oportet. — Quilibet nostrum habet certam quantitatem cognitionum, sollicitusque est adhuc de pluribus comparandis; in quo negotio quia facile limites justos transgreditur, id est, aut plura quam valeat, aut talia quae non debet, cognoscere cupit; hinc Horizon cognitionum humanarum determinari debet: determinatur vero tripliciter, *logice*, *aesthetice*, *et practice*.

a) *Logice* determinatur: 1-o) dijudicando, quousque facultas nostra cognoscitiva se extendat, seu quid possimus universim cognoscere; 2-do investigando, quousque in adquirendis cognitionibus procedendum sit, seu quid debeamus cognoscere? 3-o quaerendo, quaenam cognitiones promoveant assecutionem finis in cognoscendo primarii? Haec tria momenta, qui Scientiis operam dat, sedulo attendere, sicque *Bonum intellectus* promovere debet.

b) *Aesthetice* determinatur: dum tales cognitiones comparare nobis studemus, quae non solum nobis ipsis, sed etiam aliis perspicuae sint; non solum nobis, sed etiam aliis arrideant, et genio temporis nostri, qui barbarus, et scholasticus amplius non est, accomodatae sint. — Dum ita Horizontem cognitionis determinamus, *Bonum-sensualitatis* intendimus.

c) *Practice* denique determinatur Horizon cognitionum; dum operam damus, ut cognitiones nostrae nos, aliosque socios homines moraliter bonos, et vere excultos reddant. — Haec Horizontis determinatio, quia *Bonum voluntatis* respicit, praecipua est; quid enim prodest cognitio, secus quamcunque magna, momentosa, aut pulchra, si nos meliores non reddat?

§. 61.

Horizon Cognitionum logicus in Specie.

Horizon cognitionum *logicus*, ceu determinatio quaestionum: *quid possimus, et quid debeamus scire?* dupliciter potest considerari: *objective*, et *subjective*; prout vel objecti, quod cognoscitur, vel subjecti cognoscentis, seu hominis, ratio habetur.

a) Horizon *objective* spectatus vel est *empiricus*, vel *rationalis*; *empiricus* est, qui cognitiones ex experientia haustas complectitur. *Talis est v. g. Horizon Historici, aut Physici*; *rationalis* vero est, qui cognitiones rationales continet. *Talis est Horizon Philosophi, et Mathematici.* — Quia vero experientiae sphaera est nimium extensa, ubi e contra ratio sine experientia ad angustissimos limites restringitur; hinc Horizon cognitionum empiricus est indefinitae extensionis; rationalis vero per tres has quaestiones: *quid potest homo scire? quid debet agere? quid potest sperare?* adaequate definitur.

b) Horizon *subjective* spectatus vel est *universalis*, alias *absolutus*, vel *particularis*, alias *privatus*. — Horizon *universalis* determinatur inquirendo, quid possit homo universim cognoscere? utrum in ipsas etiam objectorum essentias penetrare, utrum objecta non solum experientiae, sed etiam transcendentalia cognoscere valeat, necne? — Cujus quaestionis resolutionem praeliminaribus Metaphysicae reservantes,

hic istud solum adnotamus: illud totum potest homo cognoscere, quod experiri, et cogitare valet; quod enim nec experiri, nec secundum certa principia cogitare potest, id neque potest in conscientiam suam assumere, adeoque nec cognoscere, si tamen id tentaret, *phantomata* et *phantasias* pariet, ipseque *phantasta* dicendus erit. — Horizon vero *privatus* determinatur inquirendo; quid cuique individuo humano cognoscibile, et cognoscendum sit? — Horizon hic ita multiplex est, sicut aetas, genus, conditio, vivendi ratio, vires, et fines hominum multiplices sunt; aliud enim potest, et debet scire *rusticus*, aliud *opifex*, aliud *nobilis*, aliud *ignobilis*, aliud vir, aliud *femina*, plus potest scire *vir*, quam *adolescens*, plus *homo cultus*, quam *incultus*; horum proinde omnium in determinando hoc Horizonte ratio haberi debet.

c) Horizon *privatus* adhuc potest esse vel *rationis sanae*, seu *communis*, vel *doctrinalis*, seu *scientificus*; ille cognitiones rhapsodicas, inter se non connexas, seu non systematicas, complectitur. *Talis est Horizon illiteratorum.* Hic vero cognitiones systematicas, certis principiis innixas, et arctissime connexas comprehendit. *Talis est Horizon eruditorum et philosophorum.*

Nota. Quamquam Horizon *rationalis* facilius definiri possit, quam *empiricus*, a quo tempore tamen recentiores Philosophi de limitibus cognitionis rationalis acrius quam unquam alias disputare coeperunt, negotium hoc non ita facile est, et determinatio Horizontis quoque rationalis controversiae subjacet. — Kantius cognitionem omnem philosophicam ad limites *experientiae possibilis* restrinxit, abnegans rationi facultatem cogno-

scendi objecta transcendentalia, et universim *res in se;* (ὄντως ὄντα); Schellingius e contra solam cognitionem *rerum in se* vult esse rationalem, et philosophicam: ex quo Labyrintho evadendi qualis via detur, indicabimus in Metaphysica; hic haec *Postulata scientifica* notentur:

1.) Leges animae nostrae in speculo conscientiae reflexae sunt extremi limites omnis deductionis et constructionis; qui ipsas negaret, humanitatem suam abnegaret, et tacite omnia vincula, quibus sociis jungitur, disrumperet; usus harum legum non est solum in scientiis, sed in omni vita hominis ita, ut per ipsas solum adquiramus jus ad personalitatem, et ipsae solae nos elevent ad sublimiorem sphaeram spiritualis mundi. Interim . .

2.) Quamvis Legum harum universalem valorem intra sphaeram nostram addubitare non possimus, sed possumus absolutam, i. e. utrum eaedem valeant etiam pro altioribus nobis entibus, et quaerere, num objecta cognitionum nostrarum e. g. res extra nos, quoad essentiam quoque suam *in se* id sint, quod nobis apparent? sed haec quaestio pro nobis nullum positivum valorem habet; omnis quippe cognitio fundatur in aliqua relatione cognoscentis ad cognitum, et spectari debet ceu commune productum horum duorum factorum et reciproca actio; *res* proinde *in se* sensu positivo absona est, esset quippe unus factor absque altero, facultate nempe nostra cognoscitiva: sic vero in nihilum abit respectu nostri, utpote penitus extra omnem relationem posita cum mente nostra. Imo pro spiritu aliquo altiori etiam *res in se* merum nihilum foret; nam si aliquid foret, deberet venire in aliquam relationem cum ejus facultate cognoscitiva, et qua phaenomenon in ejus conscientia apparere, i. e. desinere esse *res in se*, ad cujus notionem, ipso *Kantio* docente, hoc pertinet, ut in ipsa ab eo mo-

modo, quo nobis apparet, abstrahatur, et possibile adminus est, ut nostrae leges cogitandi pro omnibus entibus rationalibus sint validae, talia autem entia, non obstante ipsorum infinita gradatione, debent tamen aliquas communes leges habere, et nostra anima etsi qua infimum membrum solum pertineat ad mundum altiorem, quasi zoophytum in sublimiori potentia, leges tamen hujus alterius mundi in ipsius quoqne mundo relucere debent.

3.) Léges animae nostrae ita verae sunt, sicut leges quorumcunque aliorum entium ex natura ipsorum necessario profluentes: quidpiam legibus his conformiter apprehendere, significat in spiritu et veritate apprehendere; hac enim ratione objectum non aliter potest apparere in conscientia, quam appareat, appareat licet ex aliis respectibus consideratnm, quomodo velit.

4.) Fiducia plena in his Legibus et firma fides, quod Auctor ipsarum aeternus per ipsas nos fallere noluerit, est necessarium postulatum rationis nostrae cognoscentis, sine quo propriam suam tendentiam destrueret: dubia contra hoc in nihilum abeunt; et licet scholasticas legum harum deductiones ac systemata ipsis superstructa possit quis rejicere, sed ipsas, ratione si utatur, nunquam; ipse summe dubitans scepticus id vellet annihilare, sine quo nec quidem dubium suum potuisset in conscientia ipsius exoriri.

5.) Vi harum legum multum cognoscimus, et si hoc respectu infinitorum cognoscibilium parum sit, pro nobis tamen semper multum manet, et limites illius constanter nltra et ultra possunt protendi. Logicae non est scientiis Herculeas figere columnas, sed acu magnetica aliisque necessariis ad navigandum instrumentis ipsas providere! et licet leges cogitandi pro sua finitudine per cognitionem exhauriri possint, applicatio tamen ipsarum infinita est, quia materia cognitionum est innumera.

Lex IV. Horizon cognitionum nec nimis extendendus est, nec nimis restringendus; qui enim nimis multa scire cupit, postremo nihil scit, et in *Polyhistoriam*, aut *Polymathiam* prolabens, stolidus, et in oculis prudentiorum ridiculus evadit: sicut e contra, qui multas cognitiones ut inutiles negligit, persaepe fallitur, et in multis defectum patitur. Sic e. g. erraret Philosophus, si se cognitionibus historicis, physicis aut aestheticis carere posse judicaret.

Lex V. Horizon universalis cognitionis humanae praevie mensurandus est, quod fit determinando, quid genus humanum praeterita, quid moderna aetate jam cognoverit, et quid futura adhuc cognoscere possit? quia tantum sic poterit privatus cujusvis Horizon accurate definiri; sicut v. g. *ille, qui extensionem, et limites Hungariae accurate determinare vult, prius extensionem, et limites, non tantum Europae, sed totius telluris nosse debet.*

Lex VI. Determinandum est, quem locum cognitiones nostrae jam acquisitae in Horizonte universali occupent, id est quaerendum: 1mo) quomodo facultates nostrae se habeant ad facultates in genere hominis? 2do) quales sint fines nostri respectu finis ultimi generis humani? 3tio) quomodo his cognitiones nostrae respondeant? 4to) cognitionibus nostris quantum promoveamus bonum publicum, et quantum adhuc promovere possemus? 5to) an genio, et gustui temporis, quod vivimus, cognitiones nostrae accomodatae sint? secus enim ab Horizonte proprio facile deviabimus.

Lex VII. Serio secum quilibet deliberet, qualesnam cognitiones viribus suis respondeant? et in quibus voluptatem prae ceteris inveniat? ad quod enim vires, et animos habemus, id fa-

cile accidit, certosque profectus spondet: ubi e contra in eo, ad quod et vires, et animi deficiunt, frustra nos consumimus, oleum et operam perdimus. — Interim

Lex VIII. Etsi cognitiones quaepiam viribus nostris attemperatae sint, etsi scientiae summam voluptatem spondeant, officiorum tamen nostrorum erga Deum, nosmetipsos, et socios homines moralium nunquam non memores esse debemus; *his* enim *conformiter agere*, rationis practicae suprema lex est: laborandum proinde, studendum, cogitandum, et scrutandum est, sed nec officia hominis, aut civis unquam negligenda; secus et innocua illa, quam Musae amicis suis largiuntur, voluptas illicita erit.

Nota. a) *Polyhistoria* est cognitio pure historica, limitibus non terminata; hinc *Polyhistor* ille dicitur, qui semper facta quaerit, memoriae mandat, quaecunque acciderunt, accidunt, aut accident, scire vult, non judicat, non ratiocinatur, non in causas inquirit, sed tantum res peractas promiscue cumulat, estque quasi *Encyclopaedia* viva, in qua cognitiones inter se miscentur penitus discrepantes.

b) *Polymathia* est cognitio rationalis illimitata; quae cum Polyhistoria simul sumta *Pansophia* dici solet. — Qui multitudinem objectorum cognoscibilium, magnum et vastum scientiarum ambitum, limites item facultatis humanae cognoscitivae, vitaeque brevitatem perpenderit, quid de sic dictis *Pansophistis* existimare debeat? facile conjiciet.

§. 63.

Ignorantia, ejusque Species, et Causae.

Perfectioni logicae cognitionis respectu ejus amplitudinis *Ignorantia* est opposita; quae in genere est defectus cognitionis, potestque *objective*, vel *subjective* spectari.

a) Ignorantiam *objective* considerantes, ad id attendimus, quod non scimus; et hoc respectu Ignorantia vel est *materialis*, vel *formalis*. — Ignorantia *materialis* consistit in defectu cognitionum historicarnm, seu factorum; non scimus nempe, quod aliquid sit, fiat, aut acciderit: Ignorantia vero *formalis* est defectus cognitionum rationalium, idest, non valemus rationes reddere, cur aliquid sit, fiat, vel acciderit, non valemus, quae scimus, ad principia reducere.

b) *Subjective* vero spectantes Ignorantiam, limites cognitionum nostrarum attendimus; et hoc respectu Ignorantia subdividitur in *scientificam*, et *vulgarem*. — Ignorantia *scientifica* est quidem defectus cognitionum, sed hujus defectus rationes reddit, impedimenta cognitionis perspicit, et limites intellectus humani noscit. Ignorantia haec nobis dedecori non est, imo in confitentis honorem cedit, qui enim se multa nescire novit, certe jam plura scit: e contra stolidi tantum, et fatui cuncta scire volunt; illi itaque qui multa sciunt, et tamen ingenue fatentur se plura nescire, ignorantiae accusari non possunt. — Ignorantia vero *vulgaris* est ignorantia ignorantiae; e. g. Cajus nihil scit, et tamen nescit se

nihil scire. Ignorantes hujus generis si non contemni, rideri debent.

c) Praeter memoratas species Ignorantiae distingvitur adhuc Ignorantia in *culpabilem*, *inculpabilem*, et *licitam*. — Ignorantia *culpabilis* est Ignorantia rerum, quarum cognitio nobis necessaria, et facile acquisibilis est. *Tali ignorantia laborat* e. g. Medicus, aut Jurisconsultus in Philosophia peregrinus. Ignorantia *inculpabilis* est Ignorantia rerum supra Horizontem cognitionis nostrae positarum. *Talem Ignorantiam habet Christianus Mysteriorum suae Religionis, quae, etsi quoad existentiam cognoscat, attamen quoad modum ignorat.* Ignorantia *licita* est Ignorantia rerum, quae quidem non supra Horizontem nostrum, sed tamen extra eum positae sunt. *Sic mihi* e. g. licitum est ignorare, quomodo campanae sint fundendae? etc. —

Causae Ignorantiae praeprimis sunt: 1mo) *brevitas intellectus humani*, *et limitatio;* si enim capacitas nostra conferatur cum rebus cognoscibilibus, admodum parva est; nam ut cetera sileamus, quantum sibi mysterium est in multis vel ipse *homo!* 2do) *Socordia*; haec enim efficit, ut et illa ignoremus, quae secus scire potueramus; e. g. multi ignorant Mathesim, non quasi incomprehensibilis esset, sed quia in illam laborem conferre nolunt. 3tio) *Confusio studiorum*; sunt nempe multi, qui eruditi videri volentes, omne genus librorum arripiunt, a Philosophis ad Poëtas, a Theologis ad Juristas, a seriis ad jocosa, a veris ad romanenses confugiunt fabulas, sicque omnia miscentes, omnia leviter attingentes, omnia solide ignorant. 4to) *Defectus subsidiorum externorum*, v. g. pecuniae, librorum, et his similium literaturae supellectilium; sine quibus alioquin scientiae obmutescunt, et

verum manet illud. „*Sint Maecenates*, *non deerunt Marones*" 510) *Superbia*, *et nimium honoris studium;* superbus enim homo totus pro se est, aliis omnia abjudicans, omnia ipse videt; contemnit proinde consilia, et doctrinas aliorum, non sentit debilitatem suam, sicque in Ignorantia obstinate permanet.

CAPUT II.

De Modis Cognitiones nostras ampliando perficiendi.

Duplex est modus, quo cognitiones nostras extendere, et ampliare possumus: alter *originarius*, alter *derivativus*. *Originarius* modus situs est in usu propriarum virium; ipsimet nempe vires nostras ad objecta adplicamus, sicque diversas cognitiones nobis comparamus, vel *experiendo*, vel *meditando*. *Derivativus* vero modus ille est, quo ab aliis discendo, cognitiones adquirimus.

ARTICULUS I.

De Modis Originariis Cognitiones adquirendi.

§. 64.

Experientia.

1.) Notio, et Divisio Experientiae.

Experientia est cognitio, quam ope sensuum adquirimus. — Sicut autem sensus vel est internus, vel externus, ita etiam Experientia vel est *interna*, vel *externa*; illa est cognitio per sensum internum, haec vero cognitio per sensus externos comparata; e. g. Experientia interna scio, me gaudere, tristari etc. Experientia vero externa cognosco, objecta quaepiam extra me existere.

Experientia externa vel est *vulgaris*, vel *erudita*; illa est, quae se ultro offert, quin peculiariter et certo cum consilio quaeratur; e. g. Experientia vulgari scio, solem quotidie oriri, et occidere. Experientia vero *erudita* est, quam data opera, et certo cum consilio nobis comparamus, quod consilium duplex esse potest 1mo) aut, ut leges illas naturae, quas re ipsa dari supponimus, usu, et experientia confirmatas deprehendamus, aut 2do) ut ex Experientiae datis ipsas naturae leges eruamus.

Experientia *erudita* vel est *Observatio*, vel *Experimentum*. *Observatio* est perceptio cujusdam Phaenomeni, absque omni opera nostra existentis, ex industria instituta. *Tali experientia cognoscit v. g. Astronomus motum alicujus Planetae. Experimentum* vero est talis experientia, cujus objectum opera nostra primum oritur. *Tali Experientia cognoscit v. g. Physicus naturam fulminis, aut montium ignivomorum.* — Porro Observationes, vel instituuntur absque omni arte, et apparatu instrumentorum, vel haec quoque in subsidium vocantur; illae Observationes *vulgares*, hae vero *artificiosae* dicuntur; e. g. Eclypsim Lunae si liberis oculis considerem, Observationem vulgarem; si vero tubos astronomicos adhibeam, artificiosam institui Observationem.

Nota. E notione, speciebusque Experientiae intelligitur: arbitrariam, imo falsam esse hypothesim Kantii de *Experientia a priori*; omnem enim experientiam objectum aliquod, internum, vel externum, praecedere debet, et sic omnis experientia est *a posteriori*: quod ipsum et Kantius sensisse videtur. (*cf. Prolegom. ad Metaphys. pag.* 78. *Anmerkung.*) — Asserti enim sui nullam rationem assignat, sed experientiam hanc, tamquam factum omnibus certum, praesupponens, systemati suo ut basim, et fundamentum arbitrarie substernit. *cf. Metz Darstellung des Kantisch. Systems p.* 31.

2.) Leges Generales Experientiae.

Quia Experientia generatim sumta est cognitio eorum, quae sentiuntur, ut vera, et legitima sit, sequentia adesse debent.

Lex I. Sensatio sit pura, plena, et satis intensa; *pura* erit, si unicum tantum sensationi subjaceat objectum; *plena*, si, quidquid in objecto sensibile est, percipiatur; denique *satis intensa*, si mens omnium perceptionum sit clare conscia.

Lex II. Cum omnis nisus in rem (*praevius rerum amor*), et omnis renisus a re, simulque omnis concitatus animi affectus attentionem impediat, sensationem corrumpat, et ad praecipitantiam alliciat; ab omni vehementiori animi motu, propensioneque, qua in rem trahimur, vel ab ea retrahimur, cavendum est summopere, et veritas ubicunque, a quocunque, quomodocunque oblata promte recipienda.

Lex III. In ferendo de rebus sensibilibus judicio abstinendum est ab omni praecipitantia, et ne repraesentationes, et judicia nostra in ipso statim ortu corrumpantur, attendendum, quatenus repraesentationes, et judicia generatim per experientiam oriantur?

Lex IV. Objecta sensus externi cum objectis sensus interni non sunt confundenda, semperque prae oculis habendum, hujus esse, de iisquae intra nos, illius vero, quae extra nos actu contingunt, testari. Neque

Lex V. Sphaera sensuum justo latius est extendenda, verum dandum rationi, quod rationis est, et sensibus quod sensuum est: sensus hoc tantum docent, quod existit in natura rerum, ac proinde sola objecta singularia, horumque proprietates; res vero abstractas, conceptus, genera, species, item judicia absolute universalia soli sensus non suppeditant, sed ad haec (ut Metaphysica docebit) ratiocinando pervenitur. Hinc.

Lex VI. Cavendum est summopere, ne in cognitionibus per experientiam comparatis *Viti-*

um *Subreptionis* committatur; quod tunc fit, dum quidpiam experientia nos comperisse asserimus, quod tamen experti non sumus, sed nec experiri potuimus; e. g. Vitium subreptionis committeret quis dicens, se experientia nosse, omnem lapidem sursum projectum vi gravitatis suae necessario ferri deorsum; hoc enim non experientia sola, sed ratione cognoscitur.

3.) Leges Experientiae Internae.

Sensus internus, dum testatur de iis, quae intra nos geruntur, (ut debet) nunquam nos fallit, prout hoc in Metaphysica videbimus: sed nos decipimur, et erramus, si ad ejus testimonium non satis attendamus, id est ea, quae intra nos fiunt, non satis a se invicem discernamus, aut cum aliis confundamus. Cui malo juxta sequentes leges poterit occurri:

Lex I. Animus liber sit a pravis habitibus, et affectionibus.

Lex II. Non confundatur repraesentatio rei ex sensu interno enata, cum repraesentationibus de eadem re aliunde acceptis, praesertim autem cavendum est, ne illa consocietur, vel commisceatur cum repraesentationibus e praejudiciis ortis.

Lex III. Fugiendum est etiam hic vitium subreptionis, id est, judicia nostra, quae sensatione interna nituntur, non se extendant ad ea, quae sensu interno non percipimus.

Lex IV. Quia vis imaginandi saepe vividissimas sensationes, et phaenomena admodum mira producit; quam maxime attendendum est, ne

hujusmodi phantasmata habeamus pro rebus vere praesentibus, et extra nos existentibus, neque illa attribuamus causis insolitis; nisi evidens sit, ejusmodi effectus provenire non potuisse a causis solitis, et ordinariis. Denique

Lex V. Consulatur etiam ratio, antequam judicium feramus de iis, quae interne sentimus.

4.) Leges Experientiae Externae.

Praeter enumeratas leges generales Experientiae, sunt etiam quaepiam speciales pro experientia externa.

Lex I. Organa, seu instrumenta sensuum (oculi, aures, nares, palatum, fibrae) debent esse sana, et rite disposita; nam unum idemque objectum aliter afficit organa sana, riteque disposita, aliter vitiosa, et male disposita; e. g. idem sol oculos sanos recreat, vitiosos vero vexat.

Lex II. Ab objectis, vel immediate (ut in gustu, odoratu, tactu) vel mediate (ut in visu, et auditu) debet fieri mutatio in organis, et hujus mutationis mens conscia esse; si enim hoc non fiat, et mens alio digressa fuerit, aut nulla aut non debita sensatio habebitur. Hinc est e. g. quod saepe, etsi diu oculos in idem objectum defigamus, quale tamen illud fuerit, non sciamus.

Lex III. Usus sensationis externae ad pauca, vel si fieri potest, ad unicum est restringendus objectum; plura enim objecta simul repraesentata perceptionem confundunt, sicque sensatio non erit pura, et illud obtinebit „*Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*"

Lex IV. Inter sensus et objecta debet esse justa et proportionata distantia; si enim haec ju-

sto major, vel minor fuerit, objecta in sensus rite agere non poterunt; e. g. Oculi turrim eminus conspectam exhibent rotundam, quae tamen reipsa quadrata est.

Lex V. Quivis sensus de proprio tantum objecto testetur; quilibet enim sensus natura sua ad certi tantum generis objecta annuncianda est destinatus; e. g. Oculi ad lucem, aures ad sonum etc. percipiendum naturali pollent vi.

Lex VI. Sensatio debet esse constans, et uniformis: *constans* erit, si unum idemque objectum iidem sensus eodem modo exhibeant; *uniformis* vero erit, si plures sensus in subsidium vocati idem testentur. — Quod si vero sensus diversi circa unum idemque objectum diversa testentur, illi sensui deferendum est, cui objectum illud fuit proprium; e. g. quia oculi baculum aquae immersum exhibent curvum, tactus est adhibendus; hujus enim est cohaesionem corporum explorare.

Lex VII. Habenda est ratio etiam mediorum, quae inter sensus et objecta intercedunt, qualia sunt: *vitrum*, *aër*, *aqua*, etc. e. g. si per vitrum colore flavo tinctum conspiciantur objecta, omnia apparebunt flava.

5.) Leges Observationum, et Experimentorum.

Ut Observationes, et experimenta rite fiant, multae, praeter hucusque adlatas Experientiarum leges, observandae sunt cautiones, a fine instituendae experientiae, hujusque peculiari objecto desumendae, adeoque alibi (in Physica, Astronomia etc) fusius pertractandae; hic sufficiet generatim sequentia notasse:

Lex I. Observaturus peculiari, ut vocant, *observandi spiritu* instructus sit; ad quem non tantum acuti, et subtiles sensus, sed etiam phantasia vivida, attentio promta, memoria tenax, intelligentia solida, et labor indefessus pertinent: ut nova a tritis, necessaria et essentialia a fortuitis et accidentalibus acriter discernantur, difficultates obvenientes alacriter superentur, et nihil ut leve, aut jam cognitum, e praeconcepta opinione praetermittatur, vel negligatur.

Lex II. Omnia, quae quoquomodo in observationes, et experimenta influunt, aut removeantur, aut influxus eorum accurate perpendatur, et aestimetur.

Lex III. Praevie constet, quid, et qua via per observationes, et experimenta inquiratur, an et ad quae maxime observanda ingenii indole, et animi studio quis universim aut certo tempore feratur?

Lex IV. Instrumenta, quae adhibentur, sint in suo genere perfectissima; vitiosa enim effectum aliter exhibebunt, quam reipsa sit; *vitra* proinde, *microscopia*, *telescopia* etc. sint confecta ab optimis magistris. Hinc

Lex V. Qui observationes, et experimenta rite instituere vult, praeter historicam cognitionem instrumentorum, debet etiam callere artem eadem bene tractandi, etsi forte aliqua parte vitiarentur, defectum reparandi, aut saltem cognoscendi.

Lex VI. Si dubium restet, experientia iteratis vicibus sub diversis circumstantiis instituatur, simulque in subsidium vocentur ea, quae ab aliis rite observata, et experimentis satis explorata sunt.

Lex VII. Postquam ope observationum et experimentorum plures proprietates alicujus ob-

jecti cognitae sunt, hae particulares cognitiones in unum aliquod totum sunt colligendae, homogeneae ab heterogeneis separandae, quae praecedere debent, praemittendae; quae vero ex aliis intelliguntur, subjungendae; tum faciendae sunt definitiones, et divisiones logicae, sicque cognitiones clarae, et ordinatae reddendae, ac demum singula, quae demonstratione indigent, demonstranda sunt, per *Inductionem*, vel *Analogiam*; quarum naturam modo videbimus.

Nota: Per observationes et experimenta, praeterquam quod praehabitae jam cognitiones partim emendentur, partim confirmentur, etiam novae multae adquiruntur. Is, qui tale quid reperit, quod jam et antea exstitit, v. g. *Planetam*, *Insulam*, vel *Fossile* quodpiam, *detegere*; is vero, qui quidpiam observando eruit, quod antea aut non ita, aut plane non exstitit, v. g. *Machinam* quampiam, vel *Instrumentum*, proprie *invenire* dicitur.

§. 65.

Inductio, ejus Species, et Leges.

Singularia Experientiae data efficiunt quidem scientiarum empiricarum basim, sed non totum aedificium, nisi ex pluralitate in unitatem eleventur, et ex partibus in unum totum connectantur: hoc praeprimis per *Inductionem* fit, seu per talem argumentationem, qua a partibus ad totum, ab inferioribus alicujus conceptus ad ipsum conceptum concluditur; e. g. Petrus, Paulus,

Joannes sunt mortales, ergo omnis homo est mortalis.

Inductio vel est *completa*, vel *incompleta*; illa, omnia inferiora alicujus conceptus enumerando, concludit ad totum, e. g. visus, auditus, gustus, odoratus et tactus possunt decipere, ergo omnes sensus possunt decipere: haec vero ab aliquot inferioribus conceptus facit conclusionem ad totum; e. g. aurum, argentum et cuprum liquescunt in igne, ergo etiam omne metallum.

Inductio proinde *completa*, etsi longe difficilior et rarior, quam incompleta, non est tamen vel in scientiis empiricis, ut v. adductum exemplum probat, impossibilis, imo propter suam securitatem communis illa meta, ad quam omnes scientiae empiricae tendunt, et cui prout plus minusque adpropinguant, pretium suum sortiuntur.

Veritates illae evidentes, quae per Inductiones completas obtinentur, *Principia Experientiae* appellantur; e. g. omnes nostri sensus illusioni sunt obnoxii; ex his semper certitudo potest haberi.

Inductio autem *incompleta*, etsi ad certitudinem nunquam deducat, sed summum ad verosimilitudinem, est tamen tanti momenti, ut sine ipsa scientiae empiricae non tantum in parte sua historica, sed nec in dogmatica possent ulteriores progressus facere.

Quia vero copiosi illi errores, qui in scientiis empiricis committi solent, majori ex parte ex male institutis Inductionibus proveniunt; Logica ad hos praepediendos aut emendandos pro scientifico usu has leges suppeditat:

Lex I. Quia accurata aestimatio differentiarum inter objecta singularia et horum phaenomena, delicatissimum punctum in instituendis Inductionibus, ad theoriam Probabilitatis (§. 57 – 59)

est exigenda; in hac ante omnia rite debemus esse versati.

Lex II. Inductio ab immediata perceptione individuali sumat initium, ut sic infimus inter evolvendos conceptus empiricos in vero dato experientiae habeat fixam basim; sine hac totum Inductionis aedificium quantumvis artificiosum corruet, et vitio irreparabili laborabit: et hoc est *primus gradus* Inductionis s. *Inductio primaria* v. *individualis*. Hoc facto

Lex III. Mox observentur, et stricte aestimentur differentiae, limitationes, et exceptiones; sic fiet, ut saepe quidem ad valde incompletas sed veras Inductiones deveniatur, et per praecipitantiam putatiae leges, quae per Instantias (oppositos universalitati Inductionis casus) enervantur, naturae non obtrudantur.

Lex IV. Hoc modo per legitimas Inductiones adquisiti conceptus et regulae iterum sic tractentur, sicut prius iisdem subjecta objecta, ut sic Inductio quoque *secundi gradus* ita secura stet, sicut illa *primi*, idem teneatur etiam in Inductionibus ulterioribus *tertii quarti, gradus* et s. p. Unde

Lex V. Inductio sit continua, i. e. progressus fiat ab Inductionibus inferioribus ad superiores, nullam transiliendo; fieri quippe potest, ut recte in ista contineatur momentosissima Instantia; et sic tantum poterimus pervenire a subordinatis ad superiores, ab his ad universales naturae leges, adeoque etsi non completas saltem his proximas Inductiones obtinere; quae semper majoris pretii sunt, quam putatiae completae.

Lex VI. Id, quod in progressu ab inferioribus Inductionibus ad superiores semper sibi constat, a quo nulla exceptio se insinuat, et quod omnium temporum experientia confirmavit ac

actu confirmat, etsi Inductio incompleta tantum sit, ceu universalis Naturae lex spectari, et principiis experientiae potest adnumerari.

Lex VII. Judicia illa singularia, e quibus universale concluditur, omnia ejusdem qualitatis sint, i. e. vel affirmativa vel negativa; vel unicum enim alterius qualitatis judicium vim Inductionis enervat.

Lex VIII. Judicium illud universale, quod e singularibus inferimus, cum his ejusdem sit qualitatis.

Lex IX. Si completam Inductionem volumus habere, praedicatum in quolibet judicio necessaria nota sit subjecti.

Lex X. Si judicia singularia necessaria sunt, tale erit etiam universale, ad quod concluditur.

Nota. Inductiones nunquam possunt consequentiam habere ordinarii syllogismi; quia regulam in forma judicii universalis et propositionis majoris non habent, sed eam primo per conclusionem quaerunt, et obtinent.

b) *Instantias*, seu casus illos singulares, qui Inductionis universalitati obstant, et ipsam debilitant, nullus prolixius, et licet magnus osor Aristotelicae Logicae et Scholasticismi, majori cum pompa scholasticarum formarum, deduxit, quam Baco Verulamius (*Nov. Org. L. II. Aphor. XXI.*). Istas nempe numerat: — Instantias *solitarias*, *migrantes*, *ostensivas*, *clandestinas*, (*crepusculi*) (*constitutivas*), (*manipulares*), (*conformes*) (*proportionatas s. paralellas*, *e. g. specula*, *oculi*, *aures*, *echo etc.*) (*monodicas*) (*irregulares e. g. magnes*, *mercurius*), *deviantes* (*aberrationes naturae*, *s. monstra*), *limitaneas* (*participia*), *potestatis* (*fascium*), *comitatus* (*hostiles*), *subjunctivas*, *foederis* (*unionis*), *crucis* (*oraculi*, *et mandati*), *s. g. fluxus et refluxus*),

divortii, *lampadis*, *januae citantes*, *viae*, *supplementi*, *persecantes*, *virgae* (*vel de nonultra*), *curriculi*, *quanti* (*doses naturae*), *luctae* (*praedominantiae*), *innuentes*, *polychrestas*, *magicas*.

§. 66.

Analogia, ejus Species, ac Leges.

Inductioni cognata concludendi ratio est *Analogia* seu *Argumentum a simili*, quo, naturae regularitati et constantiae innixi, ex eo, quod objecta quaedam ejusdem generis in quibusdam notis ac proprietatibus conveniant, eadem etiam in aliis convenire concludimus; e. g. mundus praesens, sicut quodvis artefactum, certum habet ubique ordinem, accuratam partium ad fines dispositionem, et communem scopo congruentiam, ergo etiam auctorem intelligentem, sicut quodvis artefactum. Scilicet

Objecta singularia naturae non sunt sibi perfecte aequalia, sed plus minusque similia, et natura formatrix varietatem innumeram amans per diversa phaenomena manifestat suas leges; ideo similitudines rerum pro nobis sunt indicia naturae legum: quae tamen ex parte solum aliqua solent se nobis manifestare, et non in omnibus cognitis objectis eodem modo, sed in his clarius, in aliis obscurius.

Jam si seriem aliquam objectorum cogitemus, quae propter aequalitatem notarum hoc innuere videntur, quod iisdem legibus naturae subsint, ita tamen, ut in aliquibus objectis notae quaepiam determinatius se ostendant, quam in aliis: hoc concludimus, quod istae notae etiam

reliquis objectis conveniant, etsi in ipsis eas non potuerimus adhuc detegere, et forsitan nec spes sit eas aliquando detectum iri. Sic concluditur per *Analogiam.*

Cum igitur Analogia similitudini notae inter duo vel plura objecta innitatur, et ex hac concludat ad aliam ignotam, et similitudo haec vel quoad quantitatem vel quoad qualitatem, vel quoad essentiales vel quoad accidentales notas objectorum obtinere possit; Analogia quoque 1) vel est *quantitativa*, qua similis quantitas s. magnitudo, vel *qualitativa*, qua similis qualitas s. proprietas objectorum arguitur; ideo illa *mathematica*, haec *philosophica*, vel rectius, cum et in scientiis empiricis usu veniat, *nonmathematica* quoque solet appellari; *illa utitur mathematicus in aequationibus et proportionibus formandis, hac vero e. g. medicus in causis morborum detegendis, et remediis applicandis.* 2) Si ab essentialibus notis fiat conclusio, *perfecta*, si ab accidentalibus, *imperfecta* formatur Analogia; e. g. haec Analogia „Africani ita sentiunt, cogitant, volunt, sicut Europei, ergo etiam illi ita sunt capaces jurium humanitatis, sicut isti" est perfecta: haec vero „planetae ita sunt corpora opaca, ita habent montes, valles, maria etc., sicut tellus nostra, ergo etiam ita domicilia sunt entium rationalium, sicut tellus nostra", est imperfecta.

Est igitur Analogia ita necessaria, sicut Inductio, quod huic deficit, illa supplet, et ambae simul lapides angulares constituunt omnium empiricarum scientiarum: ast et in usu Analogiae non minus cautum esse oportet, quam in Inductione formanda; universim haec teneantur: —

Lex I. Pro fundamento Analogiae notum aliquid assumatur, e. g. pro Analogia quoad planetas tellus, pro analogia quoad spiritum conscientia

nostra; ex ignoto enim aliquid eruere velle, hiulcum est.

Lex II. Quo plures notae similes possunt enumerari, eo major est vis Analogiae.

Lex III. Judicia Analogiae positiva possunt esse, vel negativa: quamquam judicia pure negativa, ceu hoc determinantia, quid non sit aliquod objectum, non magna vi probandi polleant, nisi per positiva fulciantur; possunt quippe in negativis notis aliqua objecta convenire, et in positivis a se differre; e. g. elementa corporum ita non habent partes, sicut spiritus; quis tamen concludat ipsa ita cogitare sicut spiritus.

Lex IV. Analogia eo est perfectior, quo plures notas essentiales objectorum inter se comparatorum continet, sic enim major est probabilitas, quod objecta ista eidem legi naturae subsint. Unde

Lex V. Analogia perfecta certitudinem, imperfecta tantum probabilitatem, aut ad summum verosimilitudinem parit.

Lex VI. Non plus inferatur in conclusione, quam praemissae patiantur; quod tunc contingeret, si Analogia etiam ad minimas individuales differentias continuaretur: etsi enim aliqua in generalibus conveniant, non sequitur, eadem et singularitatibus consentire, imo hoc est proprium speciei, quod universalem legem per singularitatem suae naturae modificatam in se contineat.

Nota. 1) Inter Inductionem et Analogiam ista est differentia; quod Inductio concludat a multis ad omnia objecta ejusdem generis, Analogia e contra a pluribus notis et proprietatibus, in quibus objecta ejusdem speciei conveniunt, ad reliquas, in quantum hae ad idem principium pertinent, a particulari similitudine ad totalem; Inductio empirica data extendit a singularibus ad uni-

versale intuitu multorum objectorum, Analogia vero proprietates notas alicujus objecti ad plures alias ignotas ejusdem objecti; haec proinde ad plures proprietates unius, illa ad unam omnium ejusdem generis concludit.

2) Kant fecit quidem praeprimis philosophos attentos ad *quantitativam* et *qualitativam* Analogiam: ast in eo aberravit, quod qualitativam ad solam philosophiam restrinxerit, cum tamen et in objectis experientiae locum habeat, et secus ex adamata sua Categoriarum tabula, qui potuerit ipse Kant *Analogias Experientiae* statuere (quamquam hae nihil minus, quam illae sint) haud video. *L. Bachmann's System. der Logik S.* 341.

§. 67.

Meditatio.

1) Notio Meditationis, et Divisio.

Alterum medium, quo cognitiones nostras ipsimet ampliamus, est *Meditatio.* — Est vero *Meditatio* ille actus mentis, quo per concatenationem plurium cogitationum ad veritates quaspiam cognoscendas tendimus; cognitio ipsa, quam meditando quaerimus, generatim *Thema Meditationis* appellatur. E. g. si quis volens cognoscere, num Anima humana immortalis sit? hunc in finem plures cogitationes certo ordine connectat, meditatur, et Immortalitas animae Meditationis ipsius Thema est.

Meditatio vel est *analytica*, vel *synthetica.* — Meditatio *analytica* est, qua cognitiones jam praehabitas magis perspicuas reddere satagimus: Meditatio vero *synthetica* est, qua novas, nondum habitas cognitiones, quaerimus, et in-

venire volumus; e. g. qui officii vitam propriam conservandi rationes quaerit, meditatur synthetice, id est eo fine, ut morales suas cognitiones novis cognitionibus locupletet: e contra, qui praehabitos jam conceptus officii et juris in suas notas resolvit, ut eos distinctiores reddat, meditatur analytice.

2) Leges Meditationis.

Meditationem frequentissimi usus esse, vel ex eo patet, quod illa nulli sensui, tempori, aut loco adstricta sit, quodque ope ejus possit homo praecipue cognitiones suas de rebus maximi momenti, jam in pueritia acceptas, partim augere, partim clarificare, partim emendare. Ut autem fine suo non careat, certis subjicienda est Legibus, quas duplicis generis assignamus: alias, quae *Meditationem rite instituendam* generatim, alias, quae *Solutionem Quaestionum*, in quas Themata Meditationum resolvi possunt, speciatim concernunt.

a) Leges Generales Meditationis.

Lex I. Meditaturus utatur verbis conceptus accurate significantibus, sollicitusque sit de ordine, perspicuitate, et praecisione conceptuum, quos verbis exprimit, absque verbis enim cogitare non possumus, cum haec sint signa (ut vidimus) cogitationum, et quaevis Meditatio repraesentationem aliquam pro Themate fixam habeat, ad quam, tamquam ad finem, reliquae omnes tendunt.

Lex II. Recogitet, quam praeclara res sit veritas, hujusque cognitione abunde instructus

sit; quomodo enim veritates ex veritatibus, cognitiones ex cognitionibus meditando eruet, nisi jam prius amore veritatis quasi inebriatus, hujus vastam supellectilem possideat?

Lex III. Habeat animum a praejudiciis liberum; praejudicia enim sunt judicia erronea, omne autem judicium erroneum attentionem turbat, nonnisique erronea consectaria suppeditat, quod utrumque felici Meditationi inimicum est.

Lex IV. Sollicitus sit de principiis, quibus certas veritates superstruat; Thema proinde Meditationis suae accurate definiat, singulosque terminos rite determinet.

Lex V. Definito Themate Meditationis, singulas in ejus definitione occurrentes notas uberius definiat; ita ex novis notarum particularium definitionibus novas obtinebit divisiones, sicque ad principia perveniet, et cognitiones concatenatas obtinebit.

Lex VI. Attendat etiam ad scopum, quem sibi meditando praefixit, videatque, qualesnam viae ad illum obtinendum suppetant, et quae ex pluribus, ut maxime idonea, eligenda sit? adeoque sedulo scrutetur naturam scopi, quem sibi proposuit, habeatque sui, et causarum externarum rationes.

Lex VII. Avocet animum a quibusvis aliis cogitationibus, festinet lente, et quae meditatus est, in chartam conjiciat; *ad scribendi* enim *sollicitudinem meditandum est*, monente Quintiliano.— Denique

Lex VIII. Eorum, quae supra de horizonte cognitionum humanarum, hujusque limitibus docuimus, memor, res abstrusiores, et captui suo inpervias anxia meditatione nolit investigare, alioquin omni conatu, et opera destituendus.

b) Leges Speciales Solutionis Quaestionum.

Quaestiones, in quas Themata Meditationum resolvi possunt, imprimis ad tres classes revocantur; vel enim 1-o) dato subjecto, quaeritur praedicatum; e. g. quae proprietates conveniunt animae humanae? vel 2-o) dato praedicato, quaeritur subjectum; e. g. quae substantiae sunt immortales? vel denique 3-o) dato subjecto, et praedicato, quaeritur an istud illi conveniat, necne? e. g. an anima humana sit immortalis?

Praeterea data quapiam cognitione, tamquam fundamento, quaeruntur ejus consectaria, vel vice versa; e. g. ex erigenda eruditorum societate quae emolumenta in Patriam nostram redundarent? Quae causae, quod Scientiae hucdum apud nos non floreant ita, prout apud exteros?

Denique dato quopiam conceptu tamquam toto, quaeruntur ejus membra dividentia, aut vice versa; item, utrum membra dividentia se mutuo excludant? e. g. ad promovendam culturam Nationis sunt ne necessariae eruditae Societates, vel non? Quid est necessarium, vel non necessarium ad culturam cujuspiam Nationis? Verumne est, quod eruditae Societates ad promovendam culturam Nationis necessariae sint, vel non?

Jam, si quaestio quaecunque solvenda sit, ante omnia ad unam harum classium est referenda, tum sequentes leges observentur:

Lex I. Quaestio data omni ex parte distincta esse debet.

Lex II. Videndum est, num dividi possit, num ex aliis quaestionibus sit composita, aut ad

quaestiones simpliciores revocari queat? in hoc casu ad eam ex quaestionibus obtentis respondendum erit, ex cujus solutione reliquarum resolutio sponte fluit.

Lex III. Adlaborandum est, ut quaestio data ad conceptus universalissimos reducatur.

Lex IV. Inquirendum, an quaestio ad aliam reduci possit, cujus resolutio facilior est?

Lex V. Circumspiciendum est, an non cum aliis Quaestionibus connexa sit, et an non hae prius resolvendae sint?

Lex VI. Juvabit interdum etiam ad hypotheses quaspiam, suis legibus adstrictas, fine facilioris solutionis quaestionum confugere, prout in scientiis empiricis, et historicis fieri solet, quae hypotheses inventa veritate seponendae erunt.

ARTICULUS II.

De Modis Derivativis Cognitiones adquirendi.

Cognitiones nostras *derivative* ampliamus per *Institutiones aliorum.* Cum nempe brevior sit vita hominis, arctioresque facultati nostrae cognoscitivae a Natura praefixi limites, quam ut seu *Experientia*, seu *Meditatione propria*, ipsi vel praecipua cognitionum objecta, ne dicam omnia, explorare sufficiamus; necesse est, ut aliorum quoque *Institutiones*, tamquam cognitiones nostras ampliandi et perficiendi media in subsidium vocemus.

Est vero *Institutio* eorum, quae alii cogitarunt, vel experti sunt, nobis facta communi-

catio. — Quod si ea nobis communicent alii, quae experti sunt, *Testes*, si vero, quae meditando, et cogitando eruerunt, *stricte dicti Institutores*, vel *Doctores* vocantur; ibi aliorum Institutio, *Testimonium*, hic vero *Doctrina* dicitur.

§. 68.

Testimonium Aliorum.

Experientia aliena nobis communicata *Testimonium*, qui hoc perhibet, *Testis*, de quo perhibet, *Factum*, assensus, quem ipsi praestamus, *Fides*; ratio, ob quam fidem adhibemus, *Auctoritas*, cognitio denique, quam ex aliorum Testimoniis accipimus, *historica*, vel *Historia* in genere dicitur.

Testimonium 1-o) vel est scriptum, vel ore tantum prolatum, vel alia opera artis signatum; illud *Documentum*, hoc *Narratio*, istud vero *Monumentum* audit. 2-o) Vel est *divinum*, vel *humanum*, prout Deum, vel Homines habuerit auctores; et hinc etiam Auctoritas et Fides alia est *divina*, alia *humana*; et Testis vel *divinus*, vel *humanus*.

Testis humanus 1-o) vel est *oculatus*, vel *auritus*; ille est, qui facto cuidam ipse interfuit, propriisque illud sensibus cognovit, unde etiam *immediatus* dicitur: hic vero est, qui ipse facto non interfuit; sed narrationem ejus ab alio accepit, unde etiam *mediatus* audit. 2-o) Vel est *coaevus*, vel *suppar*, vel *remotus*, aut *recentior*, prout vel eodem, vel vicino, vel tardiori tempore vixit, quo factum contigit. 3-o) Vel est *domesticus*, vel *extraneus*; prout facta vel suae, vel alienae Patriae refert.

Testimonium a Testibus mediatis factum, quin de eo, quis Testis immediatus fuerit, constet, in genere *Fama*, in specie vero *Rumor*, vel *Traditio* appellatur; prout Testes mediati coaevi fuerint, vel non.

§. 69.

Leges Testimonii Fide-digni.

Testimonium *divinum*, si constet reipsa adesse, recteque intelligatur, certitudinem sic dictam *absolutam* parere, suo loco demonstrabitur in Metaphysica. Alia est natura Testimonii *humani*; istud enim, ut ad eam certitudinem, quam ipsi competere aeque in Metaphysica videbimus, assurgat; necesse est: ut ea omnia adsint, quae Logica 1-o) *ex parte rei*, quae narratur 2-o) *ex parte testium ipsorum* 3-o *ex parte modi*, quo quidpiam narratur, requirit, seu ut adsint requisita et conditiones *Fidedignitatis Testimonii*: quod juxta sequentes Leges dijudicabitur.

a) *Ex Parte rei, quae narratur.*

Lex I. Factum, de quo testimonium perhibetur, debet esse immune ab omni contradictione, nihil proinde in se continere, quod aut legibus cogitandi, aut legibus naturae repugnaret, sicque *formaliter* vel *materialiter impossibile* esset; secus enim fides locum non habet; e. g. non meretur fidem narrans, se circulum quadratum, vel hominem sine capite vidisse; illud enim legibus cogitandi, hoc vero legibus naturae re-

pugnat. — Interim in hoc posteriori casu cavendum est, ne *Impossibile* cum *Incomprehensibili* confundatur; multa enim effugiunt capacitatem limitati intellectus nostri, quae in se possibilia sunt, vereque existunt.

Lex II. Id, quod narratur, debet sensibus percipi posse, seu, ut vulgo dicitur, *Res Facti* esse: adeoque res abstractae, necessitas, et universalitas cognitionum etc. sicut generatim nullius experientiae, ita neque testimonii objecta esse possunt; haec enim, et his similia, non sentiuntur, sed conclusionibus innituntur. Hinc

Lex III. Si quae conclusiones et ratiocinia narrationi innectantur, ob solam narrantis simul et ratiocinantis auctoritatem nihil, sed ob rationes, quibus ea, quae asseruntur, stabiliuntur, tantum valent, quantum hae ipsae rationes adlatae; in his enim (*Cic. L. I. de Nat. Deorum*) *non tam auctores, quam rationis momenta quaerenda sunt.* Quod si vero

Lex IV. Res narrata sentiri potuit, attendendum est; num ea testi quoad locum, et tempus praesens fuerit, ita, ut claram ejus repraesentationem habere potuerit; secus enim iterum vel nulli, vel saltem dubiae et suspectae fidei erit locus.

Lex V. Si factum insolitum et mirabile narretur, assensio erit cohibenda, donec plures testes, iique nec obtusiores, nec in fraudem proclives, fidem imperaverint; ut enim experientia perpetua constat, hominum animis nimius insidet novitatis, et mirabilium amor.

b) Ex parte Testium debita *Scientia*, et *Veracitas* requiruntur ita, ut eos nec deceptos fuisse, nec decipere voluisse constet; si enim testes aut non sciant debite id, quod narrant,

aut non velint ita narrare, sicut sciunt, aut nec sciant, nec velint, nullam fidem merebuntur.

Examinatur vero 1-mo) *Scientia Testium* juxta sequentes Leges:

Lex I. Si constet eos magna ingenii vi, et sagacitate esse praeditos; tales enim accurate discernunt fabulas, et vulgi rumores, adeoque non ita facile decipiuntur, sicut rudes, qui, cum nimium sint creduli, omnia recipiunt: interim tamen etiam hi sufficienter possunt cognoscere rem talem, quae est valde obvia, facileque perceptibilis.

Lex II. Si organis et sanis, et intra sensationis sphaeram constitutis usi sunt.

Lex III. Si debita attentione, et mente a praejudiciis libera experientias suas instituerunt.

Lex IV. Si necessariis praeviis cognitionibus abunde instructi fuerunt.

Lex V. Si machinae, quibus forte usi sunt, bene fuere constructae, et constitutae.

Lex VI. Si plus tribuant rationi, quam imaginationi, et phantasiae; factorum quippe adjuncta examinare non imaginationis, sed rationis est.

Lex VII. Si legitimos citent narrationis suae fontes, e. g. Instrumenta publica, Senatus consulta, Inscriptiones etc.

2-o *Veracitas Testium*, seu *Sinceritas* semper adesse supponenda est, donec probetur contrarium, quod ex sequentibus colligi poterit.

Lex I. Si in tota testium sentiendi, et cogitandi ratione (*charactere*) nulla reperiatur propensio, qua a naturali veritatis amore dimoveri potuissent.

Lex II. Si nullo emolumento, nullis affectibus spei, metus, adulationis etc. nullisque illecebris fuerunt invitati ad hoc testandum, de quo quaeritur. Multo magis

Lex III. Si gravi cum periculo, et damno testentur, nec sperare potuerint se aliis hoc persvasuros, quod ipsi falsum esse agnoverunt.

c) *Ex parte Modi, quo Testimonium perhibetur*, generatim requiritur: ut modus narrandi sit simplex, aequabilis, ab affectibus, et nimia cura styli ac elegantiae alienus, in recensendis temporis et loci circumstantiis diligens, nec contineat talia, quae ad notitiam testis pervenire non potuerunt; factum enim quodvis ita narrandum est, ut plene, et ex integro perspiciatur, adeoque, ut ita loquar, nudum, et totum.

§. 70.

Leges in Concursu Testium Observandae.

Lex I. Testis coaevus oculatus generatim plus fidei meretur, quam decem auriti.

Lex II. Testis unicus debitae scientiae et veracitatis quamcunque magnam imperitorum turbam superat.

Lex III. Testes coaevi et domestici, si fuerint idonei, recentioribus et extraneis praeferendi sunt, si hi nec ex literis publicis, nec ex aliis fidei certae scriptoribus hauserunt: secus eandem, imo, si illi non sint idonei, majorem etiam isti fidem merentur.

Lex IV. Infiniti Testes, qui ex uno omnes rem acceperunt, non pluris sunt aestimandi, quam ille unus, quem secuti sunt.

Lex V. Testis vel semel mendacii reus generatim fidem non meretur; nisi tales adsint cir-

cumstantiae, in quibus etiam homo, alias mendax, verum dicere debet.

Lex VI. Eo major est fides et auctoritas Testium, quo plures in idem consentiunt; dummodo id ex condicto non faciant.

Lex VII. Maximum vero pondus accedit auctoritati humanae, si quidpiam et illi testentur, quorum interfuisset negare.

Lex VIII. ***Testis nominatus*** in regula praeferendus est ***anonymo.***

Lex IX. Conflictus plurium testimoniorum in ***essentialibus*** rem suspectam reddit, in ***accidentalibus*** vero eandem potius confirmat, quam destruat.

Lex X. Argumentum sic dictum ***negativum***, alias ***inficiale***, quod a silentio scriptorum coaevorum desumitur, nihil probat; nisi prius evinci possit factum fuisse tale, quod nec ob celebritatem ignorari, nec, spectato scopo scriptoris, a coaevis prudenter omitti potuerit. (***Exempla coram.***)

Nota. Si certum sit, quod omnia haec, quae hucusque ad testimonium aliquod fidedignum requiri diximus, adsint (quod tamen in particulari determinare negotium difficultatis et periculi plenum est), certum etiam est, testem verum dicere et potuisse, et voluisse, adeoque etiam dixisse: si vero illud tantum dubium, aut probabile fuerit, assensus suspendendus, aut pro gradu probabilitatis praestandus erit. — Universim anilis *Credulitas*, justo diutius protracta *Incredulitas*, aut cuivis testimonio denegata *Fides* philosopho, et viro quocunque prudente indignae sunt.

§. 71.

Doctrina Aliorum.

Doctores vel scriptis, vel viva voce nos erudiunt; illi *Auctores*, ea, quae docent, *Institutiones literales*, vel *manuscriptae*, vel *typo vulgatae*, seu *impressae*; illi, quos docent, Lectores vocantur: isti vero *Magistri*, *Praeceptores*, vel *Professores*, ea, quae docent, *Institutiones orales*, vel *Praelectiones*; illi, quos docent, *Auditores*, vel *Discipuli* vulgo appellantur.

§. 72.

Auctores.

Qui sufficiente rerum cognitione instructus, non solum coaetaneos, et quibus convivit, sed remotos quoque a se et posteros, eadem imbuere volens, animum ad scribendum adjicit, sequentes Leges observet, necesse est:

Lex I. Ante omnia se, viresque suas diligenter investiget, ut cognoscere possit: num, et ad quid scribendum idoneus sit? alte proinde menti imprimat illud Horatii de arte poëtica monitum „*Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam viribus, et versate diu: quid ferre recusent, quid valeant humeri.*"

Lex II. Objectum, de quo scribere vult, aliorumque de hoc, praecipue illustriorum, opera, et conamina sint ipsi plenissime nota; illud proinde diu versandum, meditationi subjiciendum, saepius chartae mandandum, seria crisi emendandum, iteratisque vicibus relegendum erit, ut

sic satisfiat illi Horatiano „*Nonumque prematur in annum.*"

Lex III. Stylus, seu forma scribendi, objecto, non istud illi conformetur; alia enim est ratio scribendi *Orationes*, alia *Poëmata*, alia *Historias*, alia *Epistolas*, alia *Dissertationes philosophicas*, *etc.*

Lex IV. Deductio totius operis sit clara, perspicua, praecisa, systematice ordinata, et, quod principale est; solida: Definitiones proinde, Divisiones, Demonstrationes, et alia, quae huc pertinent, juxta datas supra leges sunt rite instituenda.

Lex V. Caveat inutiles excursiones, longiores, nimium frequentes, ad rem parum, aut nihil pertinentes, uniceque ad ostentandam eruditionem adduci solitas animadversiones, peregrinorum vocabulorum, et textuum conglomerationes, aliorum inhumanas impetitiones, calumnias, contemtus, sui e contra laudes, elationes, verbo: omne, quod nimium, indecorum, odiosumque est, et nauseam parit.

Lex VI. Scopus scriptionis rite aestimandus, et semper prae oculis habendus est; ne secus auctor aut typographias inanibus occupet, aut, ut dici solet, „*extra oleas vagetur.*" Denique

Lex VII. Habeat rationem et eorum, pro quibus, et adjunctorum, in quibus scribit; ne secus aut non eos, quos debuerat, aut non eo, quo oportebat, modo, tempore, etc. doceat, sicque fine suo imprudens destituatur.

§. 73.

Libri.

Libri seu scripti, seu impressi, sunt vel *historici*, vel *dogmatici*; illi facta, diversosque eventus, hi vero universales quaspiam, ne-

cessariasque veritates cum suis fundamentis, et consectariis proponunt, unde etiam *doctrinales* in specie vocantur.

Si a) Liber sit *historicus*, ut nos vere doceat, ante omnia 1-o) debet esse *genuinus*, seu *authenticus*; qualis erit, si auctori, et tempori, cui inscribitur, reipsa conveniat, in opposito casu erit *spurius*, vel *suppositus*; 2-o debet esse *integer*, id est, nec *mutilus*, seu talis, in quo quidpiam desideratur, quod in vetustis codicibus adest, nec *interpolatus*, seu talis, in quo aliquid continetur, quod in antiquis non occurrit; Liber enim quiscunque subit vices testis, qui sine praerequisitis qualitatibus (ut vidimus) nullam fidem meretur.

Ars *Authentiam* et *Integritatem Librorum* investigandi, et determinandi, *Critica* dicitur, opposite ad *Censuram*, quae specialia tantum loca, et quaepiam erronea Libri asserta examini subjicit.

Criteria vero, quae ad dijudicandam Librorum authentiam, et integritatem Critica praebet, partim *interna* sunt, seu ex ipsa indole Libri desumta, partim *externa*, seu testimoniis aliorum probatae fidei scriptorum innixa. — Ad illa referuntur: 1-o) Si characteres libri sint ejusmodi, ut in illam temporis periodum, et regionem cadant, in qua liber scriptus esse dicitur 2-o) Si nihil contineat liber, quod aetatem recentiorem prodat. 3-o Si stylus non abludat ab aliunde nota auctoris scribendi ratione. 4-o) Si nihil referat, quod principiis jam notis scriptoris, et nondum revocatis contradicat. — *Externa* vero Criteria sunt: si scriptores coaevi librum non alteri auctori tribuant, neque eundem recentiori aevo scriptum esse testentur. — Et hoc modo authentici deprehensi libri vocantur etiam *origi-*

nales, opposite ad *Copias*, quae testium solum mediatorum vices agunt.

Sivero b) Liber sit *doctrinalis*, authentia ejusdem ita sollicite inquirenda non est; hic enim rationes tantum, et momenta, quibus *Dogmata* (Asserta) firmantur, sumuntur in crisim et considerationem; non attendendo, quis Auctor, aut quo tempore librum scripserit.

Criticam *Hermeneutica* excipit; quae sensum verbis Auctoris subjectum invenire, et eundem aliis explicare docet, juxta sequentes maxime generales Leges:

Lex I. *Usus loquendi* auctori proprius continuo inquirendus, et illi convenienter interpretatio est instituenda: quia vero usus loquendi rem facti concernit (denotat quippe consvetudinem alicujus nationis, cum certis vocabulis certas repraesentationes connectendi), ex testimoniis eruendus est, quae vel auctor ipse praebet in suis definitionibus, exemplis, descriptionibus etc. vel scriptores coaevi, qui eadem lingva utebantur; quo pertinent *Scholiastae*, et *Glossatores*.

Lex II. Auctor quilibet, quantum fieri potest, ex semetipso explicetur, per *Loca* sic dicta *parallela* (similia) ea praecipue, in quibus ex instituto rem quampiam tractat.

Lex III. Interpres erga auctorem aequus sit, id est: verbis ejus optimum, quantum licuerit, sensum attribuat, ipsius famae, et honori consulat, duriora mitius exponat, sensum viro prudente indignum nunquam eliciat, et absurda consectaria ex dictis auctoris non prius deducat, quam ea aperte constent.

Lex IV. Circumstantias libri locales, et omnem auctoris situationem personalem accurate noscat; quo pertinent: *Natio*; *Secta*, *Religio*, *Philosophia*, *Politica*, *Libertas etc.* igitur *Prae-*

fationes, quae ista potissimum docent, serio sunt excutiendae.

Lex V. Naturalis, quem verba prae se ferunt, *sensus* non est negligendus, nisi rationes sufficientes postulaverint; quilibet enim, sicut loqui, ita et scribere censendus est, ut intelligatur: quis autem sit naturalis sensus, praecipue in libris antiquioribus, non tam ex *Lexicis*, quam ex Contextu, Scopo auctoris, Principiis primorum lectorum etc. poterit colligi.

Lex VI. Si *Lectiones* sint *variantes*, ea praeferenda est, quae in vetustissimis codicibus deprehenditur, et scopo operis proxime respondet.

Lex VII. Si his etiam observatis, adhuc aliqua obscuritas remaneret, ipse auctor, si quidem adhuc in vivis est, ejusque percontandi copia datur, consulendus erit. Denique

Lex VIII. Juvabit etiam aliorum virorum, inter quos auctoris discipuli, amici, vel coaevi praecipui sunt, commentarios adire; quamquam saepe praestet libros sine commentariis legere; siquidem hi non raro hoc asserant, quod ipsi, non quod auctor sentit.

§. 74.

Lectio Librorum.

Expositis, quantum hujus loci erat, Criticae, et Hermeneuticae principiis, ipsa jam *Lectio Librorum* est attingenda; quae, ne suo fine, et utilitate, careat, secundum certas leges institui debet, quarum quaepiam *ante*, aliae *inter*, aliae *post* ipsam *Lectionem* sunt observandae.

a) Ante Lectionem.

Lex I. Lector diligenter expendat, qualesnam Libros legere debeat; cum enim una ex parte diversi possint esse scopi; et fines, quos legentes sibi praefigunt;, altera vero ex parte, copia librorum aetate nostra innumerabilis fere sit, ex quibus non omnes, sed aliqui tantum fini praefixo respondent, alii parum, aut nihil sani, et veri in se continent, imo vero multi bonos mores depravant, et in sacrae Religionis Dogmata impingunt; Librorum delectum fortunae committere, imprudentissimi foret. — Consulantur proinde in delectu librorum viri probitatis, religionis studio, doctrinaeque praestantia illustres; tum adiri poterunt *Nova*, *Bibliothecae*, *Encyclopaediae*, et sic dictae *Historiae literariae.*

Lex II. Potius legat paucos, riteque selectos, quam multos malos, promiscueque assumtos libros.

Lex III. Ad finem sibi praefixum necessarios utilibus, utiles jucundis, intellectu faciliores difficilioribus, summarios prolixioribus, originales copiis, antiquos novis praemittat.

Lex IV. Nunquam tales libros arripiat, quorum praevia, saltem tenui, cognitione non gaudet, et ad quos debite praeparatus non est.

b) Durante Lectione.

Lex I. Lector habeat animum tranquillum nullis affectibus, praejudiciis, aliisque adjunctis rerum turbatum; sit proinde immemor suarum opinionum, obliviscatur scholae, sectaeque propriae, auctorem tantum audiat, et secundum leges universales Logicae dijudicet.

Lex II. Statum quaestionis, de qua Liber agit, distinctissime cognoscat, totum eo dirigat, videatque, an omnia ad illustrandam quaestionem pertineant; hinc. *Praefationes*, *Indices*, *Elenchos*, *Synopses* non praetereat, *Capitum*, et singulorum *Paragraphorum* titulos attente perlegat, antequam ipsius libri lectionem adgrediatur.

Lex III. Lectioni Meditationem saepius interjiciat; qui enim perpetuo legit, et nunquam meditatur, non tantum habitum cogitandi amittit, sed insuper memoriam suam debilitans, lectionis nullum fructum capit, et similis fit illi, qui multum edit, et parum digerit.

Lex IV. Styli elegantia non commoveatur ad assensum, sed firmitate argumentorum; imo eo magis attendat, quo magis studet Auctor verborum ornatui.

Lex V. Fugiat Lectionem vagam, tumultuariam, et perfunctoriam; nunquam proinde prioribus praetermissis, et non intellectis, ad ulteriora progrediatur, sed vim cujusvis propositionis, et argumenti, nexum item integrorum capitum, et internam coordinationem accurate pervideat; una quavis vice tantum legat, quantum commode omni ex parte examinare valet; verbo, non tam multa, quam multum legat.

c) Post Lectionem.

Lex I. Lector ea, quae legit, relegat, vel potius recolat, et quae maxime memoria digna sunt, in chartam conjiciat.

Lex II. Si librum ipsum singulis, quibus lubuerit, vicibus legere concessum fuerit, specialia puncta excerpere inutile erit, sed bre-

Lex III. Linguae, qua docet, apprime gnarus sit; et quia apud nos scientiarum vehiculum hactenus *latina lingva* est, hanc prae ceteris calleat necesse est: singulos dein terminos accurate definiat, neque in vocibus vagis, obscuris, et indeterminatis conquiescat; ipsos etiam conceptus abstractos exemplis selectioribus e vita communi petitis illustret.

Lex IV. Auditorum suorum capacitati, horum, temporis, et loci genio se se accommodet, quin tamen a veritate recedat; docendo enim satis prodesse nequit, nisi libenter audiatur, et intelligatur.

Lex V. Ne in *Galanteriam eruditam* incidat, omnia distincte, praecise, ordinate, et solide proponat: expedit tamen huic *perfectioni logicae* institutionis adjungere etiam *perfectionem aestheticam*, ut sic rigor methodi scholasticae in popularem abiens mitescat, et *Pedantismus* evitetur.

Lex VI. Faveat non nihil ingeniorum libertati, nec quemquam suorum auditorum repellat, si tempus ob illa, in quae propensus est, suffuretur; ad quae enim natura quisque sua fertur, in iis progressus maximos est facturus.

His et aliis dotibus (*Cf. Fabii Inst. Orat.* L. 2. *de Moribus, et Officiis Praeceptorum*) *et meam hung. Logicam* §. 130) qui instructus non est, nonnisique ex scriptis mechanice legendo docere valet, missam faciat docendi provinciam, aliamque vitae rationem ineat; satius enim est non docere, quam cum aliorum fastidio, onere, et periculo docere.

Nota. a) *Pedantismus*, a Grammatico quopiam *Pedano* homine ridiculo, et ubivis locorum forma scholastica docente, sic dictus, est proprietas quorundam

omnia, quae proferunt, methodo scientifica, et artis, ubicunque sint, seu scripto, seu ore doceant, proferendi: non respiciunt nempe ad genium temporis, non ad gustum politiorem, non ad personas diversas praesentes, et superbiunt; dum pulveres scholastici de ipsis cadunt; loquuntur semper tamquam ex cathedra, citant auctores Graecos, et Latinos, congerunt sententias, et terminos, praecipuamque gloriam in eo ponunt, si a nemine intelligantur.

b) *Galenteria erudita* illorum modus est, qui scientias tantum pro gustu pertractant, delectari solum iis volunt, aliosque delectare student, non soliditatem, sed superficialem cognitionem quaerunt, non convincere, sed persvadere conantur, non intellectum, sed sensualitatem, non rem, sed verba prae oculis habent. *Cf. Wenzel Elem. Log.* §. 114.

§. 75.

Methodus docendi.

Institutionis bonitas praecipue a *Methodo* quam docens sequitur, pendet; circa hanc istae prae aliis universim sunt tenendae Leges.

***Lex* I. Methodus docendi sit vere *scientifica*, id est, perspicua, ordinata, continua, solida: *perspicua* ideo, ut singula, quae proferuntur, comprehendi, et perviderì possint; *continua*, ut auditores omnia proxime connexa facilius retineant; *solida*, ut adductis rationum momentis convictionem pariat; *ordinata* denique ideo, quia a debito ordine perspicuitas, convictio, et totius comprehensio pendent.**

Lex II. Ab initio institutionis caveatur a quaestionibus vel magis arduis, vel magis pusillis, quam scopus postulet.

Lex III. Saepe cogitandum est: animum ad quaecunque felicius, et svavius trahi, si illud, quo tendimus, in intentione operantis non videatur esse principale, sed tamquam aliud agendo superetur; natura enim communiter necessitatem, et durum imperium odit.

Lex IV. Modus proponendi non sit imperiosus, et pedagogicus, sed ingenuus, liberalis, et ita compositus, ut quod docens asserit, examini subjaceat, et fidem non imperet; in rebus enim scientificis (ut vidimus) tantum valet docentis cujusvis auctoritas, quantum valent rationes, quibus tradita suffulciuntur.

Lex V. Refutentur etiam errores adversariorum, sed magna cum cautione; praestat enim saepius aliorum errores silendo contemnere, quam anxia refutatione illis auctoritatem, et forte etiam asseclas inter auditores conciliare, apud quos, praecipue juniores, frequenti dubitatione, et sollicita pertractatione error honorem consequi solet.

Lex VI. E pluribus speciebus *Methodo*, (§. 38.) quae alteri in docendo praeferenda sit, partim ab objecto pertractando, partim ab instituendis discipulis, potissimum autem inde desumendum est, qua Methodo finis institutionis felicius, et facilius attingatur. *V. meam hung. Logicam* §. 131.— 136.

§. 77.

Auditores.

Etsi scientiarum Doctores, praerequisitis dotibus instructi, res suas eo, quo proposuimus modo, pertractent; nihil tamen efficient, nisi eorum *Auditores* fuerint Juvenes, scientiarum vere amantes, et studiosi; quales erunt:

Lex I. Si Praeceptores suos non minus, quam ipsas scientias ament, et Parentes esse, non quidem corporum, sed mentium grati recognoscant.

Lex. II. In collegia laeti, alacres, et diligentes conveniant, nullumque, si fieri potest, negligant, a Magistris correcti non indignentur, laudati non relaxentur, sed incitentur magis ad id, cujus causa laudati sunt, ut sint charissimi, studiis, et bonis moribus mereantur.

Lex III. Ad ea, quae proponenda sunt, intelligenda sint rite praeparati: ne secus omnia nova, et improvisa offendant; libri proinde *manuales*, vel sic dicti *classici*, praevie inspiciendi, ex his materia futurae praelectionis excutienda, loca difficiliora notanda, ac deinde, tempore institutionis, attentio ad haec praecipue dirigenda est.

Lex IV. Si libri tales desint, et insuper Auditores memoriam labilem nacti sint, capita principaliora collegii in chartam conjiciant, uti praecipuas divisiones, terminos technicos, numeros, fontes per docentem commendatos etc. ut deinceps domi integram traditorum seriem ruminari queant; interim haec omnia breviter, et ita praestent, ne debita attentio turbetur, minuatur, aut omnino evanescat; sane omnia docentis verba

laborioso calamo excipere, et sanitati periculosum, et debito in scientiis progressui nocivum est, optandumque foret, ut mos iste penitus aboleatur!

Lex V. Si oportet discentem credere, multo magis oportet jam edoctum judicio suo uti; discipuli enim, si magistris suis aliquam fidem debeant, ea nonnisi temporanea esse potest; hinc plena libertatis ejuratio, perpetuaque ingenii servitus longissime absint.

Lex VI. Audita in collegiis diligenter relegant, et domestica meditatione in succum, et sangvinem convertant, sintque semper memores: in scholis, et collegiis studia tantum inchoari, non absolvi. Denique

Lex VII. Juvabit etiam ea, quae didicerunt, cum amicis conferre, alios edocere, docendo enim dicimus; magistros ipsos, ceu amicos, frequenter adire, his dubia proponere atque eorundem de libris, quos ceu commentarios legere expediret, consilia petere et sequi.

Nota. Cultores scientiarum, Scholas egressi, quae agenda et cavenda habeant? disce ex meae *hung. Logicae* §. 138.

§. 78.

Concertationes Literariae.

Concertatio literaria est colloquium quodcunque eo fine institutum, ut rationibus pro et contra propositionem aliquam, seu ore, seu scripto adlatis, veritas, vel falsitas detegatur. — Hoc, si eo fine, et privative tantum, instituatur, ut quisque de materia quapiam depro-

mat, quod sentit, *Colloquium eruditum*, si vero ad alterum erroris convincendum tendat, *Refutatio*, vel *Impugnatio*, si denique publice, praecipue ad dandam occasionem magistro, et discipulis, illi, quid docuerit, his, quid didicerint, ostendendi, *Disputatio* in specie dicitur.

a.) Colloquia erudita.

Qui inter se colloquuntur, ut verum perfectius attingant, in illudque profundius penetrent, rem praeclaram agunt; ne tamen fine suo frustrentur, istis praecipue legibus dirigantur, necesse est:

Lex I. Instructi sint sufficiente cognitione ejus, quod collocutionis objectum, et thema est.

Lex II. Cogitata sua distincte, et legibus Logicae conformiter proferant: proinde in legibus recte cogitandi satis exercitati sint.

Lex III. Nihil ipsis antiquius sit veritate; adeoque sensa sua ex hujus unice studio, et sincero cognitiones veras assequendi animo, mutuo communicent:

Lex IV. Id, quod rei caput est, et statum controversiae constituit, accurate notent; ut omnis in colloquendo *Logomachia* evitetur.

Lex V. Nunquam transeant ab uno objecto ad alind, antequam thema colloquii sui assumtum penitus exhauriant. Denique

Lex VI. Liberi sint a quibusvis affectibus, et pertubationibus animi, caveant aequivocationes, cavillationes, vanam ostentationem, nimium asserendi ardorem, et quaevis dicteria, qua animos irritare, aut excitare possent.

b.) Refutatio.

Alios ex principiis certis erroris convincere, *refutare* est; alterum itaque refutaturus demon-

strare debet, quod is propositionem quampiam falsam pro vera habeat; hoc autem juxta sequentes leges praestabit:

Lex I. Si is, quem refutare vult, incommoda usus fuerit dictione; admoneat, ut verba sua corrigat.

Lex II. Ostendat modum, quo alter in errorem inciderit, specialiusque indicet errorem aut in principiis, aut in modo concludendi commissum.

Lex III. Caveat, ne alterius attentionem turbet; proinde fugiendum est omne id, quod alterum offendere posset. Hinc

Lex IV. Abstineat ab *Argumento ad verecundiam*: quo eos adstruimus sententiae nostrae auctores, qui undecunque tantum in hominum animos imperium adepti sunt, ut qui iis contradicere auderet, quasi stultus et arrogans traduceretur.

Lex V. Evitet *Argumentum ad Ignorantiam* neque enim id, quod verum esse asserimus, propterea verum est, quod alter argumenta nostra dissolvere, aut meliora adferre nequeat. — Ita etiam

Lex VI. Caveat *Argumentum ab Invidia ductum*; quo adversarius risui, aut odio aliorum exponitur; non enim cessat esse verum, quod alii risu, aut odio dignum habent. Denique

Lex VII. Non agat *Consequentiarum*; id est, consequentias periculosas ex verbis adversarii aut plane non, aut saltem nude, et extra contextum acceptis fluentes, per multasque detorsiones et quasi fidiculas extortas, non deducat.

c) Impugnatio.

Si quis alterum errare insufficienter tantum, id est ex principiis incertis, et precario assum-

tis, probat, eundem *impugnare* dicitur; contra talem juxta sequentes leges nos municmus.

Lex I. Si propositio nostra vere demonstrata est, et tamen ab aliis impugnetur, non opus est eam multis defendere, certum enim est refutari non posse.

Lex II. Si sensus verborum vindicandus sit, satis nos defendimus, si, quid per verba nostra velimus, exponamus; si vero conceptum, quem verbis nostris jungimus, pertinaciter rejiciat adversarius, aut maligne verba in alium sensum detorqueat, consultius est *tacere, ut philosophi maneamus.*

Lex III. Si impugnans vel principia erronea, vel modum argumentandi falsum nobis imputare velit; necesse est, ut principia nostra legitima esse commonstremus, et vitium formae per ignorantiam regularum logicarum imputari nobis, doceamus.

Lex IV. Impugnans si consequentias absurdas deducat ex nostris assertis; demonstrandum est, aut consequentias illas esse illegitimas, aut saltem ex assertis non fluere.

Lex V. Contra eum, qui injuriis potius, et conviciis, quam veris rationibus pugnat, in arenam non descendendum; sufficit aliis ostendere, quali cum homine nobis sit disceptatio; et si nos offendat, illud Senecae cogitandum „*maximum genus vindictae est, ignoscere*" sic victores abibimus, et veritas inconcusa stabit.

Nota. Scripta, quibus nos contra impetitores nostrarum sententiarum defendimus, *apologetica*, ea vero, quibus aliorum errores refutantur, et impugnatae sententiae defenduntur, *polemica* appellantur.

b) Disputatio.

Quodsi publice, et cum aliqua solennitate habeatur collocutio (ut in Academiis, et Universitatibus fieri solet) *Disputatio* appellatur; is, qui *Thesim* (Assertionem) quampiam proponit, eamque veram esse ex rationibus deducit, *Defendens*, vel *Respondens*; qui hanc ex rationibus oppositis impugnat, *Opponens*, vel *Oppugnans*; qui partes Defendentis tuetur, illique, si opus fuerit, suppetias fert, *Praeses Disputationis* audit. — Disputationes optima esse ad veritates in medium protrahendas instituta academica, non est cur longius contendamus; dummodo personae disputantes universim et in specie certas Leges observent.

1mo) *Leges Generales.*

Lex I. Disputationibns publicis non exponantur theses frivolae, et ideo tantum conquisitae, ut numerus assumtus vel praescriptus expleatur; sed tales, quae scopo Disputationis inserviant, et ita dispositae sint, ut nexus inter illas facilius appareat.

Lex II. Theses, quantum fieri potest, dilucide ponantur, non sint studio contortae, aut vocabulis, formulisque talibus involutae, quarum sensus difficillime erui possit.

Lex III. *Positionum* locum non obtineant solae *quaestiones*; quaerendo enim nihil ponitur, aut asseritur, quod impugnari possit; absint igitur hujusmodi expressiones „*quid hoc*, *vel illud sit*? „*an hoc*, *vel illud verum sit*?“ etc.

Lex IV. Ex Thesibus propositis una, vel plures disputandae determinate seligantur, et ita

initio statim formetur status controversiae; ne secus disputantes in logomachias incidentes, *de lana caprina decertent*, illudque de ipsis dici possit „*miscent quadrata rotundis*, *alter hircum mulget*, *alter cribrum supponit*.“

Lex V. Defendens aeque ac oppugnans solo veritatis eruendae studio teneatur; adeoque potioribus rationum momentis uterque cedat.

Lex VI. Animo affectibus, irae praesertim et invidiae, libero concertationem adeant, placide et amico colloquio rationes suas proferant, hisque solis, et non gutturis robore, vincere quaerant; ne secus altercari magis quam disputare videantur.

Lex VII. Defendens objectiones, oppugnans responsa patienter audiat, neque in verba mutuo involent.

2do) *Leges Oppugnantis.*

Lex I. Oppugnans argumenta sua virili cum modestia, breviter, perspicue, et ordine, quoad fieri potest, syllogistico proferat; ne superflua ejusdem argumenti repetitione, aut prolixiori expositione defendens obrutus ipsius mentem, et nervum probandi difficulter perspiciat.

Lex II. Praemissas, si adhuc illustrari debeant, et earum probatio a defendente postuletur, opponens novis syllogismis tamdiu corroboret, donec ad principia certa, et indubia perventum fuerit.

Lex III. Cum defendens ad argumenta sua responderit, ad singula ejus verba, et distinctiones attendendo, novas formet exceptiones; praesertim vero notionum adlatarum explicationem a defendente sibi expetat.